

JACOB BALDE

MAGNUS TILLIUS REDIVIVUS (2863 vers)  
(carmina)

MAGNUS TILLIUS REDIVIVUS Sive M. TILLII PARENTALIA.

MONACHII, Typis SEBASTIANI RAUCH. Anno M. DC. LXXVIII.

M. TILLII LAUS EXCEDIT MORTALIUM FACUNDIAM

T1 v.1 Mortaline putas numerosam posse referri  
 2 Tilliadem lingua ; cum vix sperarit Homerus  
 3 Iliadem finire suam ? Diffide caducis  
 4 viribus, et nostro caput oraque mergere fonte.  
 5 Tunc ego possessum celer et graviore tumultu  
 6 descendam in pectus, doctisque caloribus acrem  
 7 exagitabo animum, totos in murmura montes  
 8 concutiens et aquas. Nostrum, quae gloria primae est,  
 9 Tillius armipotens Numen vultumque meretur.  
 10 Ergo ducis tanti clara in praeconia flumen  
 11 derivabo sacrum : sublimius hinniet ales  
 12 Pegasus, et totis spumabunt carmina ripis.  
 13 Tu succinge animum, magnamque admitte Dei vim :  
 14 numquam alias tantus venio. Praeconia nostra  
 15 digere, et ingenti torque cava nubila versu.

BOIARIA EXORDITUR M. TILLII PARENTALIA LUGUBRI VOCE...

T2 v.1 At non sperabam jam nunc, fortissime Tilly,  
 2 te talem spectare ducem. Quae vulnera cerno ?  
 3 Quae prius admirer ? Quantum se nostra revolvit  
 4 cum casu fortuna tuo ? Mihi lapsus es uni.  
 5 (Et simul in lacrimas ibat) mihi mortuus uni.  
 6 Sentio supplicii pondus. Sunt omnia vera  
 7 quae per terrificas monstrarunt somnia noctes.  
 8 Ingemui, et causas gemitus vix denique novi.  
 9 Vidi quadrupedem excusso sessore per arva  
 10 currere, et attonitam replere hinnitibus urbem.  
 11 Vidi inclinatis navem descendere proris  
 12 in medios fluctus, noto sine praeside puppis.  
 13 Annosam quercum, qua praeterlabitur agros  
 14 unda Lyci, glebasque fluens et prata maritat,  
 15 fulgentem vidi exuviis spoliisque gravatam  
 16 bellorum, intorto caesam procumbere plumbo.  
 17 O Tilly. O noctem ! Maesta o praesagia noctis !  
 18 His quoque credidimus, tamquam fatalis imago  
 19 iret in aspectus, prostrataque silva jaceret.  
 20 At qui ego te video. Verum quam dispare vultu !  
 21 Illa ubi mens, Martisque color, frontisque profunda  
 22 consilia, et magnae curae, faciesque severa  
 23 laetitia splendens ? Ubi classica nobilis oris ?  
 24 Cum tu prae lituis resonans, ad bella catervas

25 hortabare truces : ubi nunc est Tillius ille,  
 26 Gallia quem coluit ; Belgae genuere feroces,  
 27 Hungarus obstupuit, miles laudavit Iberus ;  
 28 commendant Itali, Cimber miratur et horret ?  
 29 Agnosco venerorque ducem. Sic filius Afri  
 30 Hammonis jacuit juvenis Pellaeus ad aram.  
 31 Sic et Pelides : juxta Nereia mater  
 32 uda procellosis undavit fletibus ora.  
 33 Apparet, quid amor, quid possit in omine somnus.  
 34 Augur eram funesta mihi : sine remige navim  
 35 jam video. Sonipes errat rectore solutus :  
 36 et Dodonaea praestantius arbore robur,  
 37 ramorum nervos, et canitiem foliorum  
 38 acclinavit humo, convulso stipite lapsum.  
 39 Terra ingrata mihi ! Cur non majora cadenti  
 40 auxilia et vires iterum instaurare dedisti ?  
 41 Tillius Antaeo melior, tamen Hercule contra  
 42 obluctante, solum quoties calcavit et herbam  
 43 Matris, in obstantem surrexit fortior hostem.  
 44 Amphitryoniades inventi ignarus et artis  
 45 risit, et in media coepit sudare palaestra.  
 46 Sed quid in antiquae devolvor saecula pugnae ?  
 47 Serius ista gemo, frustra que accuso negatam  
 48 Terrae immitis opem : cur non subvenimus ipsae ?  
 49 In me omnes questus, in me lamenta redundant.  
 50 Cognati generosa Lyci Dux flumina noster  
 51 cum bello petiit : forte is seductus in antro  
 52 jura dabat Nymphis. Hae glauco caerulea musco  
 53 stemmata texebant hilares. O caeca futuri  
 54 pectora Nereidum, nec curis apta severis !  
 55 Quin et certatim genitorem rore marino  
 56 ornabant : haec ergo comas et tempus utrumque  
 57 implevit violis, et arundine celsius ostrum  
 58 composuit rorante manu. Connexuit illa  
 59 vimineam chlamydem nodo, quem plurima miti  
 60 contudit electro. Dedit altera et altera nullo  
 61 ordine jam sertum, jam non ignobile cornu :  
 62 tum patulam vitreis cinxerunt floribus urnam,  
 63 undarum tanto sonitu ; ut de turribus altis  
 64 prospiceret lepidas mirata Augusta choreas.  
 65 Et nisi cavissent matres, traxisset ad ista  
 66 Gaudia Vindelicas festum geniale puellas.  
 67 Cum subito nascente die, dum nubilus aer  
 68 fumat, et obsessum stipat contagia caelum :  
 69 exoritur raucum murmur : Lycus omnis ab imo  
 70 turbatis horrescit aquis ; liquidaeque Sorores  
 71 diffugiunt : resonant litui : furiosius instat  
 72 Suecus, et in trepidis reboat grave buccina castris.  
 73 Arma, viri ! Ferte arma, viri ! Dux protinus ante  
 74 primos ingeminat : nunc o fortissima quondam  
 75 pectora, nunc istis tandem decet hostibus uti.  
 76 Ah ! quoties monui. Tilly ! Thoraca sagumque  
 77 indue : tam subitis quid apertum casibus offers  
 78 pectus ? Inaccessum tormenta accedere possunt.  
 79 Loricas alii tamen (atque hi quantula turba ? )  
 80 Arripiunt, galeaeque jubis rutilantibus ardent.  
 81 Ille nihil : " Numquam phaleris sum talibus," inquit,  
 82 "usus, et his non est primum violanda senectus."

83 Sic effatus, equum calcaribus ursit anhelum,  
84 ut pontem lustret. Tremulo victoria nictu  
85 invitare ducem visa est, voluitque libenter  
86 opportuna capi, quando se Tillius illi  
87 ostendit. Verum heu ! Coeptis ingentibus obstat  
88 invidiae labes, et vix heroibus aequa  
89 Fortuna. Immugit passim tonitrале metallum  
90 glandibus excussis : et machina fulminat aeris  
91 ipsosmet, (pro tela ! ) Joves. Dum ferrea saevit  
92 tempestas : valide contorto tibia flagrat  
93 conteriturque globo. Laeso pede, currere bella  
94 qui possent ? Cecidere animi, fugere triumphi.  
95 Qualiter in campis si quando ad proelia tauri  
96 conveniunt ; bellator ubi decesserit unus  
97 aut lacera fronte, aut pede, quo protrivit arenam  
98 saepius ; abscedunt ex una parte juveni ;  
99 nec jam bella petunt, strato seniore, sed illum  
100 servant abeunt cum terribili mugitu.  
101 Haud aliter nostro ductore ex vulnere lapso,  
102 saucia castra labant, et spes perit omnis in uno.  
103 Illum omnes acies, silvae, vada, flumina clamant.  
104 Ille omnes acies, silvas, vada, flumina clamat,  
105 imperat, hortatur, rogat ; ut navalia pontis  
106 invadant, vetitasque vetent accedere ripas.  
107 Omnia cassa tamen : tellus dedit icta fragorem,  
108 Gustavoque vadum fluvius praebere coactus,  
109 debuit hoc luctu luxum pensare priorem.  
110 Et nunc servitio manantia subdere colla,  
111 quae viridi serpens nexu vestivit arundo.  
112 O Lyce, si qua fides superest tibi, curaue nostri  
113 sanguinis, et nondum venere oblivia : si te  
114 Boiorum primaevus amor, mixturaue fati  
115 tangit : in haec olim tristi turgentia fletu  
116 lumina, ploratis ubertim illabere lymphis.  
117 Quid primo, quid deinde querar ? Maerore cruento  
118 cingor et attonitam confundunt vulnera mentem.  
119 Post aliquot soles alieno ex orbe reversos  
120 extinctum decus est, extinctaque gloria belli.  
121 Tuque, o, quae nostros armas in bella leones,  
122 urbs Ingolstadium, meruisti cernere fanus :  
123 cernere ? Quin potius venerari poplite flexo.  
124 Caelum laxatum est. Qua se nitidissima Librae  
125 dividit, et radiis aequales ponderat horas :  
126 inter Virgineae flaventia sidera spicae,  
127 rugitumque ferae multo lucentis ab auro,  
128 Tillius ad Superos tandem invitatus abivit,  
129 tempore quo gelidas Phoebus descendit in undas.  
130 Ante tamen, quam se bellator spiritus armis  
131 solvit, et egregii castrum mortale reliquit  
132 corporis ; ad stantes dedit haec oracula circum :  
133 o Numen, rerumque salus divina mearum !  
134 Sic me destituis ? Sic Caesaris arma, piaequae  
135 squalorem sponsae, Romamque in rupe verendam ?  
136 At non destitues. Dixit, caelumque petivit.  
137 Signa dedit gladius : muri tremuere supini :  
138 pallida lugubres stimularunt lumina tediae.  
139 Atque inter septem versat dum plaustra Triones,  
140 perdidit Arcturus jubar ex melioribus unum.

141 Non satis est. Alios precor explore meatus  
142 caelorum ; ut tanti patefiat caussa doloris.  
143 Nullane cursuras tardarunt sidera nubes,  
144 sanguineis suffusa notis ? Non classica nimbi  
145 pulsarunt ? Atque ausa soror concurrere fratri,  
146 praetulit ignivomo Pyroenti vecta juvenum ?  
147 Non hastae arserunt celeres ? Nullusne Cometae  
148 terribili fulgore minax, dirisque capillis  
149 porrectus, Martis vicinum polluit astrum ?  
150 Heu vereor ! Tamen ille jacet : quid maesta vereris  
151 amplius ? Occubuit : non est revocandus ab axe.  
152 Lamentis fruiere ; et laudem in solatia verte.  
153 Invenientne manus dignas tua militis arma,  
154 ensis hic et thorax, squamaeque et aenea cassis ?  
155 Et quisquam audebit chalybemque hastamque vetusta  
156 religione sacram, dextra crispate profana ?  
157 Quam multum famae talis mors attulit orbi,  
158 quae docuit potuisse mori ; patriaeque saluti  
159 impendisse globum : qui nunc mirandus ad aulas  
160 ivit, et in sacris olim servabitur aris.  
161 Illa tuo casu tellus signata propinquas  
162 provocat et titulis cupit ambitiosa videri,  
163 Alcidis superans montem, vallemque Gradivi.  
164 Hic ubi larga data est tantae tibi copia mortis :  
165 olim posteritas dicet mirata, fuisse  
166 ingentem terrae motum : quo flumen inerme  
167 torpuit, et pressis siluerunt vocibus undae :  
168 quaque repercussis nutarunt turribus urbes.  
169 Vive, vale, Tilly ! Seu nunc super aethere lustras  
170 desertam contemptor humum, ridesque severas  
171 bellorum nugas, et picta crepundia tabo :  
172 seu super Herculei vellus regale laboris  
173 magnanimaeque jubam stellae vestigia profers ;  
174 sive super sanctam volucrem demitteris orbi  
175 imperio Divum, fortique in pectore magni  
176 Caesaris, aut nostri (precor) in ducis, ore manuque  
177 bella gerente, sedes : assuesce favere vocatus,  
178 nutricisque tuae pius, et miserere tuorum :  
179 inque feros fulmen, fulmen (potes) excute Suecos.  
180 Non equidem refert, qua vi mortale cadaver  
181 diffluat, aut quando : multos servetur in annos  
182 funus adornatum, pretiosaque saecula tumbae  
183 includant Arabes, immortalesque Sabaei :  
184 an, sicut natura petit, livore peresum  
185 terrestri, primos iterum vertatur in ortus,  
186 in cinerem cinis, ex elemento elementa recedant.  
187 Digna tamen precio, meruit sua balsama virtus.  
188 Unde tuus permulcet odor : venerabile funus  
189 cinnama diffundit, demessaque fragrat in illo  
190 India, flaventem Cilicum bibit urna privinam.  
191 Huc, qui Taenariis vates insculpere saxis  
192 funebre carmen amas, ades o, tristisque cupressu  
193 merge coronantem, madidus praecordia, laurum.  
194 Scribe : sed et gemitus veros imitare poeta.  
195 Boiariae florentis opes, vincentis honores,  
196 maerentis lacrimas haec contegit urna, viator.  
197 Ah ! prolixa nimis, nec nobis apta videtur  
198 naenia, nec tanto satis exaequata dolori.

199 Non opus est, tumulo multis incidere longa  
 200 nomina marmoreo, pompamque horrere superbam.  
 201 Scribatur solum paucis : Hic Tillius ille est.

T3 v.1 Ense vides scriptam, quae venit epistola ferro  
 2 cincta : suis nimium charta referta malis.  
 3 Ne rubras mirare notas : liquor abfuit ater ;  
 4 praebuit illius, sanguinis unda, vicem.  
 5 Vasculum id, unde latex calamis hauritur aduncis,  
 6 cassis erat : querno ex stipite mensa bipes.  
 7 Quali acumque tamen tibi missa haec littera portat.  
 8 Perlege : nam refert, te quoque scire, Soror.  
 9 Tillius in campo cecidit, grassatur et instat  
 10 Suecus. Habes summam : Tillius occubuit.  
 11 Me miseram ! Cui non credis tam vera loquenti :  
 12 et forsitan dicis : fabula scripta mihi est.  
 13 Flebilis historia est : narrantibus, Austria, crede.  
 14 Mortuus ille tuus Tillius, ille meus.  
 15 Clausi oculos Ingolstadii, scissosque capillos  
 16 sparsa, super tumbam funeream jacui.  
 17 Ah ! quod narro malum, mihimet vix credere possum :  
 18 tune igitur, Tilly dux animose, jaces ?  
 19 Sic certe : ereptus nobis charissimus. Eheu !  
 20 Verus erat vates maxima Roma tuus.  
 21 Esse aliquid monitus et sacra oracula, sensi ;  
 22 illa superfuso Numine plena natant.  
 23 Occidit ille igitur, qui fortunatus utrique  
 24 saepe triumphorum maxima causa fuit.  
 25 An mihi succenses, quod te isto vulnere laedam ?  
 26 Sum tamen hoc ipso vulnere laesa prius.  
 27 Fors etiam accusas, ceu sit neglectus, et aegrum  
 28 foverit in terra nulla medela ducem.  
 29 Sidera, vestra fides ! Quidquam intermisimus artis,  
 30 sive Machaoniae dissimulanter opis ?  
 31 Ut super ille foret, pretium regale dedissem,  
 32 hos clypei rhombos, turrigerasque comas.  
 33 Est domus in plateam vergens, limesque platea :  
 34 legibus et Musis est bene nota domus.  
 35 Ipsum consilium, docti meruere penates,  
 36 nobile pro Domino nomen habere suo.  
 37 Propter eam sacrae Crucis est venerabile templum :  
 38 indigenas novi, Cantabricasque togas.  
 39 Ima in parte domus, qua se formosior hortus  
 40 porrigit, et virides explicat arbor opes :  
 41 infusumque diem nitido bibit ore fenestra,  
 42 et plumbum intortum vitreus orbis habet.  
 43 Illa in parte, duo constructa cubilia pandit  
 44 liminus unius janua nexa trabe.  
 45 Non ibi lis saevit, vulgique inamabile murmur,  
 46 non merx distrahitur, non Cereale merum.  
 47 Tympana nulla sonant, nec adacta umbonibus arma,  
 48 nullaque stridenti personat axe rota.  
 49 Sed tranquilla quies, et qua sapientia gaudet :  
 50 sanaque purgatum ventilat aura locum.  
 51 Tillius istorum jacuit curandus in uno :  
 52 crede mihi, in paucis mite cubile fuit.

53 Credis et hoc ? Stetit ad dextram spectabilis ara :  
 54 non igitur potuit displicuisse duci.  
 55 Atque ideo summam non assignavimus arcem,  
 56 ut sopor hunc placida posset adire via.  
 57 Sique videretur fatis : neu noxius humor  
 58 serperet, aut laesi flamma maligna pedis.  
 59 Testor ego Superos : sed erit quoque testis et ipse  
 60 Tillius, imperio jam meliore potens :  
 61 grande (velim quaeras) vulnus pedis ipsa ligavis  
 62 mitibus id sucis imbuit ista manus.  
 63 O animum ! Quando ferro detraximus ossa,  
 64 nec signum gemitus indiciumve dedit.  
 65 Impavido vultu magni instrumenta doloris  
 66 pertulit, et prima fronte remansit honor.  
 67 Interea precibus votisque molestior ursi :  
 68 dic Tilly : quibus hoc tempore rebus eges ?  
 69 Posce : nihil potero, tua tota, negare petenti :  
 70 sive manum medicam, pharmaca sive petis.  
 71 Tu modo relliquias noli contemnere vitae :  
 72 pendet ab his Populi vita salusque mei.  
 73 Sic ego : sic ille : Aeterno confido Parenti :  
 74 non timeo, quidquid vesper et urna vehit.  
 75 Debuerim cum saepe mori et decedere ; non est  
 76 improvisa mihi funeris hora mei.  
 77 Tot vici bellis, tot denique viximus annis :  
 78 pars hujus poterat temporis esse satis.  
 79 Ergo vale, maestumque ducem solare : juvabo  
 80 militiam pugnax ossibus umbra meis.  
 81 Te quoque jam tenui moriturus voce vocavit,  
 82 Austria : et o Caesar, dixit, et Aula vale !  
 83 Mox animam efflavit. Pudet, ah ! Pudet, edere questus ;  
 84 sed tamen hic tristes, fundere cogor aquas.  
 85 Et manant oculi, lacrimisque minacibus urunt  
 86 Invidiam, et dici gaudeo maesta parens.  
 87 Spectares utinam faciem scribentis et ora !  
 88 Turbaret visum maesta figura tuum.  
 89 Scribimus : et chari video dum funeris urnam,  
 90 atroci fletu charta cruenta madet.  
 91 Scribimus : et stricto, quo tristes utimur, ense  
 92 non tam litterulas, quam grave vulnus aro.  
 93 Scribimus : et caedes inter funestaque bella,  
 94 cogimur hostilis classica ferre tubae.  
 95 Suecus adest ; date tela viri : procurrite vallo :  
 96 Danubii radit littora. Suecus adest.  
 97 O qualis luctus, quem flebilis asperat ira !  
 98 Nescio quid magni mens animosa parat.  
 99 Arma, viri ! clamo : rapiuntur, et urbis ad arcem  
 100 curritur, et primo pellitur hostis agro.  
 101 Stella bovis, cornu, Lethum, Gustavus, Adolphus,  
 102 nomina sunt Scythico barbara nonne sono ?  
 103 Hi simul irruerant : et Rex violentior ipso,  
 104 cujus sulcavit stagna profunda, mari.  
 105 Ille meas urbes, atque haec, quae vertice porto,  
 106 oppida convellit, dilaceratque comas.  
 107 In me multa nimis mala juravere : dolori  
 108 magno sufficeret pars numerusque minor.  
 109 Olim credidimus tardum segnemque tyrannum :  
 110 heu ! nimium velox in mea damna fuit.

111 Danubius, dixi, prius alto a fonte recurret,  
 112 Isaraque et retro versum iter Oenus aget :  
 113 illa ego quam tali sim deformanda ruina ;  
 114 aut tu, quam cunctis praefero, chara soror.  
 115 Isara curre retro, multumque volubilis Oene,  
 116 et jam Danubium nesciat Ulma suum.  
 117 Sentio turritos flamma populante capillos  
 118 uri : formoso defluit ore decor.  
 119 Jam nigra sum : jam tu, si me videasque notesque  
 120 ambustam, dices : siccine turpis anus ?  
 121 At scieras, pulchram paullo tamen ante puellam :  
 122 nil jacto, et nitidam fronte fuisse bona.  
 123 Luna semel vacuos imple vit lumine vultus :  
 124 ex quo tam diris sum violata modis.  
 125 Scit Deus, ut merui : neque enim meruisse negabe.  
 126 Invidiae timui saepius ante malum.  
 127 Vici igitur profugum Fridericum, ut vincerer ? Utque  
 128 corruerem, tanti Dux Fridericus erat ?  
 129 Ille mea rursus tamen est epulatus in aula :  
 130 cumque aliis habuit gaudia festa Getis.  
 131 Ante tamen noster Leo collabetur in armis :  
 132 quam statuam tumido nubere capta proco.  
 133 Austria fida, cave : solet hic quoque multa minari  
 134 Caesaris Imperios nec minus arte valet.  
 135 Ut pateat cupidis antiqua Tiberia votis,  
 136 Suecus agit remis, atque laborat equis.  
 137 Exspecta, Gustave, viamque infeste remorde :  
 138 quo cupis, huc remis non venies, nec equis.  
 139 Ipsa prius patiar crudelem squalida mortem :  
 140 et rapiet cinerem nobilis umbra suum.  
 141 Sic equidem. Propera conjunctis Austria telis :  
 142 in lucro est, quidquid desinit esse morae.

MARS EXACERBATUS VULNERE FUNEREQUE SIBI CHARISSIMI JOVI

T4 v.1 Reddo tubas, reddo arma Jovi, currusque cruentos,  
 2 aurigamque et equos, clypeumque, enseque, pharetrasque  
 3 Arcusque, frameasque et tela et fulgura et hastam,  
 4 ferratasque acies, chalybemque, aquilamque, sacesque  
 5 et jubar et galeam, cristasque et calcar et iras  
 6 reddo Jovi. Simul hic Mavors, quia fessus anhelus  
 7 gurgite verborum, quem despumaverat, ingens  
 8 substitit : ac tandem plus quam suspiria torsit  
 9 ferrea, et a tonitru non expugnabile murmur :  
 10 an vero gratis bellicae precarius auctor  
 11 fungus ero ? Vultumque iterum contorsit in axem,  
 12 tam nimis horrendum plangens, quam flebile ridens.  
 13 Qualiter Hannibali captae Carthaginis ignis  
 14 spectanti ridere dedit. Mala gaudia vulgus  
 15 damnabat : quamvis illo ferale cachinno  
 16 nil fuerit magis aut miserum, visuque molestum.  
 17 Pulcher ego Mars sum. Video, mea jura coluntur.  
 18 Scilicet, et nostris submittitur ensibus orbis.  
 19 Sic fatus, capulum tetigit galeamque minaci  
 20 verberare. Crispatis nutarunt culmina coni  
 21 fortius, et motae moverunt fulgura cristae.  
 22 Depictique truces juvenes, et ab arte minores

23 ingenti graviter tremuere in casside Martes.  
 24 Pergit deinde ferox : quid enim ? Mihi plectra deinceps  
 25 femineamque colum, vel sinistra bicornia poscam :  
 26 Quando tubae lituique nihil, nil classica prosunt.  
 27 Quid ni cum Phrygio celebrem trieterida sexu  
 28 insanus, Bacchoque madens ? (An et iste Gradivo  
 29 praestat ? ) Et incensa (dimittam spicula) pinu  
 30 per thyasos fugiam temulentaque sanguine prata ?  
 31 Si modo venarum furia flagrante superbus  
 32 quisque mihi addictos, cupiat qui sternere, possit :  
 33 dilectosque duces armis violare profanis  
 34 audeat, et maestis confundere caedibus omen.  
 35 Quid me opus in bello est ? Qui dispensare furores  
 36 debeo, ne peccent : et quae truncanda vel ense  
 37 corpora, vel plumbo, nostris signare lacertis.  
 38 Nam mihi sorte datum, gentes turbare quietas ;  
 39 ne luxu pereant, et in otia diffluat Orbis.  
 40 Atque ubi concurrunt, ac belli cornua miscent,  
 41 cui mihi cumque placet, largiri posse triumphum,  
 42 est mihi sorte datum. Mea sunt haec jura, nec alter  
 43 esse potest consors, quamvis se poplite natum,  
 44 vel cerebro magni Patris, veterumve Deorum  
 45 progeniem jactet, discoque arcuque minacem.  
 46 Et tamen (indignans magno pallebat hiatu,  
 47 et torvum ridens inter lamenta fremebat.)  
 48 Et tamen indecores, dicam, imbellesne ? Videmur.  
 49 Audent terrigenae (Superis ignoscere possem,)   
 50 audet vesanus miles, me absente, ferire :  
 51 quo mihi non ullus fuerat devinctior armis.  
 52 Alter ego fuerat. Nobis communia signa,  
 53 communes clypei ardebant. Pene unus et idem  
 54 ensis, et ingentes, sed non sine Numine, curae.  
 55 Ibam per Batavos, pridem mihi debita regna  
 56 invisens, artesque novas virtutis et irae  
 57 monstrabam Hesperiiis contra : sed nescio quod fatum.  
 58 Heu furor ! Ut mentes violento concipis igne,  
 59 et cerebrum vastas ! Mars est oblitus id ipsum,  
 60 quod voluit paullo ante loqui : luctatur in ira,  
 61 dum latrat phantasma ferox, et pergere nescit :  
 62 ni defaecato nova mens resplendeat ortu.  
 63 Tunc iterum primis repetit fastidia verbis.  
 64 Ibam per Batavos, et scitu digna, nec usu  
 65 deteriora, meis referens miracula belli  
 66 Hesperiiis, docui, qui possint protinus urbes  
 67 expugnare : levi consternere subere fossas :  
 68 atque ita munitum sicco pede tangere vallum :  
 69 qui sorbere lacus, immensaque flumina saltu  
 70 traicere : ingenti stantes in turribus umbrae  
 71 terrere excubias, immansuetoque sopore  
 72 figere custodes, qui frangere moenia, et usto  
 73 murorum emotas radices vellere fundo,  
 74 sulphureos torquere globos : hi pulvere faeti,  
 75 postquam longinquo tractu per tecta volarunt,  
 76 excussas vibrant mortes, ducibusque minantur.  
 77 Quippe recens illos me compingente marito  
 78 belli uterus peperit : quo non jactantius ullum  
 79 inventum memini, dum sum tibi Belga Deus Mars.  
 80 Jamque ducis silvam, Bredanaque rura relinquens



81 ad Boios molibar iter, mea castra meosque  
 82 lustraturus equos, vexillaque fixa Leonis.  
 83 Ecce pererranti campos, ripasque vomentis  
 84 proelia Danubii, quae vasto proicit alveo,  
 85 Tillius a Sueco narratur milite vulnus  
 86 accepisse ingens. Fremui, ingemuique fremendo.  
 87 Ipsi etiam, Domini motus, subitumque timorem,  
 88 turbatasque comas, trepidi sensere jugales.  
 89 Pronum erat, assensum dictis dare. Barbarus hostis  
 90 successuque tumens, alter mortalis, ego absens.  
 91 Sed cur destitui ? Cur non comitatus euntem  
 92 adjuvi ? Potui vincentem semper ad usque  
 93 Wimpffenam Pragamque sequi, rapidumque Visurgim.  
 94 Et jam. Sed luet ille nocens : qui vulneris auctor :  
 95 occidet, inque mea Suecus mactabitur ara.  
 96 Dixit, et ad sacram contorsit lumina tumbam.  
 97 Huncne tibi mortis titulum, haec ego gaudia belli,  
 98 hoc donativum frater tibi magne paravi ?  
 99 Haec merces ductoris erat ? Sic proelia penso ?  
 100 Gestatosque diu cinctus, chlamydemque verendi  
 101 imperii, et sparsos magnis sudoribus armos ?  
 102 Non alium similem mihi sum miratus in ira.  
 103 Non alium cassis magis et mea tela decebant.  
 104 Non alius nostrum strinxit violentius ensem.  
 105 Non alium noster sonipes portasset, et axis.  
 106 Non alius nostram potuit vibrare sarissam.  
 107 Non alius valuit contundere fortius hostem.  
 108 Non alter citius perfringere noverat urbes.  
 109 Non alius quisquam melius tormenta rotavit.  
 110 Non alius meruit nova nomina dignius illo.  
 111 Sed, nunc Magne jaces Tilly, ferrique nitore  
 112 contuso, non haec, quae quondam, gloria fulget.  
 113 Fallimur : en facies armati funeris ista,  
 114 ceu vivat sublimis adhuc, spiretque, potenti  
 115 in lumen terrore ruit, grateque severo  
 116 fulgurat aspectu, mentemque ferociter implet  
 117 Manibus, elucet sanctae virtutis imago  
 118 nobilis, et pulcher spatiosi vulneris horror.  
 119 Dixit, et a sacra detorsit lumina tumba,  
 120 vociferans iterum. At non impunitus abibis,  
 121 quisquis es, o ! qui me temerasti hoc vulnere magno.  
 122 Vindicta in promptu (digito plaudente severum  
 123 concrepuit, casuque nivem Scythicamque pruina  
 124 excussit : ) nondum haec, nondum mea dextera prorsus  
 125 viluit, aut illa contortum hastile resedit  
 126 segne super terras ; vel inanes ibit in auras  
 127 vulneribus nullis, nullaque opulentius umbra.  
 128 Juro equidem, nec longa mora est. Dedit oscula ferro  
 129 nudato, et solis juravit nutibus, absque  
 130 verborum strepitu, magnorum more Deorum.  
 131 Dixit, et ad sacram contorsit lumina tumbam.

CHORUS I. DEFLET TANTI HEROIS MORTEM, MAESTOQUE MILITARIUM RITUUM LUXU ...

T5 v.1 Tibi Tilly, tibi nostri decus aevi,  
 2 plangimus.  
 3 Tibi crines violatos, cineremque

4                                   spargimus.  
 5   Tibi maestam Cyparissum super urnam  
 6                                   figimus.  
 7   Tibi ritu peregrino clypeos  
 8                                   adsternimus.  
 9   Tibi peltas radiantes, galeasque  
 10                                  tradimus.  
 11                                 Bellicoque jure,  
 12                                 Persicoque more.  
 13   In orbem euntes mortuo parentamus.  
 14                                 Tillium flemus.  
 15   Mortale genus miserum, Parcis  
 16   paret iniquis : licet hava vacuum  
 17   humilemque colum tibi victuro  
 18   Superi dederint ; sed in excelsa  
 19   pendeat hasta stamen honoris,  
 20   et plena die nitido lana :  
 21   ah ludibrium ! Nihil ista juvant.  
 22   Rapiere tamen : rapiere brevi.  
 23   Ipsos etiam crede rudentes,  
 24   vitaeque brevis fila adamantina,  
 25   si non forfex, plumbum lacerat.  
 26   Non tricesima trieteris abit,  
 27   et jam tumulo propior marces.  
 28   Eheu ! cecidit maximus Heros.  
 29                                 Tillium flemus.  
 30   Coma demissa est : sordida vestis  
 31   gemitum sine clamore fatetur.  
 32   Tillio quisquis moriente numquam  
 33   vult mori, vitae nimis est avarus :  
 34   et cupit Parcas sibi pejerare.  
 35                                 Tillium flemus.  
 36   Ponite fastus tumidasque minas,  
 37   quos bella juvant, sanguis inebriat.  
 38   Tillius mortis violenta sensit  
 39   tela : nec nobis macilenta parcat  
 40   ossei Thracis manus et sagitta.  
 41                                 Tillium flemus.  
 42   Quanti casus humana rotant,  
 43   nimis ambigua pondera lance !  
 44   Occidit belli decus et superbae  
 45   lumen Europae, lacrimasque secum  
 46   traxit in tumbam nimis affluentes.  
 47                                 Tillium flemus.  
 48   Frustra Hannibales, Carthago, canis :  
 49   et Scipiadas vetus Alba duos.  
 50   Hunc et hos longe superavit armis  
 51   Tillius noster. Tamen in sepulchrum  
 52   debut labi resoluta massa.  
 53                                 Tillium flemus.  
 54   Igitur morits victima certa est,  
 55   quicumque trahit vitale jubar.  
 56   Tu quidem pugnas hodie, tuosque  
 57   sternis in campo metuendus hostes :  
 58   forsitan cras in tumulo jacebis.  
 59                                 Tillium flemus.  
 60   Noli fidere fragili vitae :  
 61   sed nec honores praeponere Deo.

62 Fulgeant quamvis, oculosque blandis  
 63 fascinent gemmis : aliquando tandem  
 64 desinit splendor titubantis aulae :  
 65 Tillium flemus.

AUSTRIA COMMEMORAT AMOREM SUUM ERGA M. TILLIUM...

T6 v.1 Sic Superi voluistis. Et Austria maesta tot annis,  
 2 hoc unum solamen habet. Penetralia testor  
 3 Caesaris, et sanctae capita intemerata volucris,  
 4 me talem tantumque ducem, dum vita manebat,  
 5 prae multis etiam merito coluisse dynastis ;  
 6 et nunc defunctum praeclarae munere vitae  
 7 semper amaturam : testor quoque semper amasse.  
 8 Cesset vulgus iners querulo mala verba susurro  
 9 Spargere, nec lites obscuras turbida nectat  
 10 suspicio. Nimium veri mihi causa doloris,  
 11 Tilli flende, jaces. Heu casum et lugubre fatum !  
 12 Ex oculis ignes quondam, nunc exprimis undas.  
 13 (Largiter undabant oculi) nihil Austria tristis  
 14 dissimulat. Pace egregius clarusque triumphis,  
 15 casta merebaris nostrae suspiria stammae.  
 16 Allexit tua me virtus, assuetaque bellis  
 17 dextera et integritas, vitae melioris origo.  
 18 Frons, oculi, vultus, mores, vox, omnia magnum  
 19 spiravere ducem : propter quae culmen adeptum  
 20 Caesareae te summus honor devinxerat aulae.  
 21 O ! quoties dixit : meus Invictissimus : istum  
 22 si modo fata virum nobis Superique relinquunt :  
 23 imperio facili victos frenabimus hostes.  
 24 Sin rapiant : meriti Divum lugebimus iram.  
 25 Contigit, o Caesar ! Tam tristis ab omine fati  
 26 praesagos valuisse metus. Vix fama tremendum  
 27 narravit casum, centum ora et guttura centum  
 28 pandens, continuo oppressit nos copia luctus.  
 29 Audivi gemitus, miserandaque verba Vienna,  
 30 mirantesque necem proceres, et ad aethera versis  
 31 vultibus, immites Parcas, imitia fata  
 32 conquestos. Vidi nocte observare serena,  
 33 si quis ad interitum natus, per turbida passim  
 34 Astra vagaretur, barba pendente Cometes,  
 35 heu ! raro magnis ducibus sine funere visus.  
 36 Dein, quae dictavit dolor, in praeconia fusi  
 37 facundo luctu lamentabantur in urbe  
 38 ille quidem divinum animum, nec rebus iniquis  
 39 nec blandis unquam fractum laudavit : hic aequam  
 40 temperiem morum, facilemque in mitia linguam  
 41 responsa, et furias mulcentem militis aegri.  
 42 His pietas mansueta magis virtusque placebat,  
 43 quae precibus lenit Numen, dotesque beatas  
 44 impetrat, inque hostes armorum depluit imbres.  
 45 Iste novas bellandi artes, magnumque probavit  
 46 Ingenium Martisque capax, nec inutile regnis  
 47 consilii pondus, librataque verba bilance.  
 48 Hos contemptus honor summa ad fastigia ducti

49 detinuit, titulis stipata modestia magnis.  
 50 Hos nimis insolitus casti rigor ille pudoris,  
 51 expers conjugii, sine flamma, pectus in armis  
 52 perculit attonitos, tamquam ad miracula stantas.  
 53 Denique sinceram mentem, studiumque togatae  
 54 Pacis in armato duce mirabantur, et annos  
 55 sudantes sub tot galeis, attritaque ferro  
 56 brachia. At extremum, bellorum gloria, vulnus  
 57 omnibus incussit stimulos maeroris acerbi,  
 58 et mixtos in amore metus, lacrimasque feroces.  
 59 Illa tua o quondam felix, ingloria numquam  
 60 canities, sacraeque memor virtutis imago  
 61 mentibus occurrens, sic ibat Tillius, inquit.  
 62 Nulla igitur mortem hanc monstrarunt praevia signa ?  
 63 Nulla Hyperionios nubes conterritis ignes,  
 64 defoedans spuris fraterna vaporibus astra ?  
 65 Nil questae volucres ? An nusquam grandine nimbus  
 66 sanguineo, tortisque madens hastilibus aether  
 67 crescentem pulsavit humum ? Non Aeolus antro  
 68 excidit, et Patrem venti sprevere rebelles ?  
 69 Nusquam Danubii mutata cruore procella  
 70 praemonuit ? Rhenoque suos vertente meatus,  
 71 tristes sederunt ad inania littora Nymphae ?  
 72 Sunt aliquid motus ammi : quos sentio, maesti  
 73 ominis omen habent. Credo haec praeludia mortis  
 74 evenisse quidem, sed nos non illa notasse :  
 75 ut magis in praesens rapitur mens caeca futuri.  
 76 Hoc vel ego memini. Cum primo Cynthia vere  
 77 exereret medium cornu, nondum obvia fratri :  
 78 tunc quoque dona ferens solennia Caesaris, ibam  
 79 ad magni Stephani supplex, certamque salutem  
 80 oratura sacri venerabar martyris ossa.  
 81 Ecce revertentem subitus nivis occupat imber,  
 82 vellereque involvit : quod nec tu dicere possis  
 83 purpureum, nec ego niveum. Successit apricus  
 84 fulgor, ab aspectu Phoebi maerentis anhelum  
 85 lumine : ceu sparsas acies et castra viderem  
 86 nubibus in mediis, diraque ardentia flamma,  
 87 motaque contremere tellus. Ego turbine longo  
 88 vadebam ventos inter turrita frementes.  
 89 Austria quid trepidas ? Me percontabar. Et ipsa,  
 90 nescio, respondi mihi. Rex et Caesar, et omnes  
 91 Austriaci, mea cura, mei, bene Numine dextro  
 92 dante valent. Et jam Stephani Victoris ad aram  
 93 visimus, obtulimusque preces, et thuris acerram,  
 94 primitiasque novi veris : cum Daphnide palmam,  
 95 et casiae mitis generosa, rosasque et amellos,  
 96 et violas calycesque hyacinthi et pulchra ligustra,  
 97 Thymbramque et Cyanen, serpyllaque cumque amarantibus  
 98 fulgentes stephanos, ductas a nomine gemmas :  
 99 has equidem mente, ut maesta sine nube malorum  
 100 curreret Augustis Titan, Saturnia volvens  
 101 saecula, et antiquos flavis cum mensibus annos.  
 102 Boiariae metuo. Vix dixi, et Epistola venit  
 103 horrida, fatalis, lacrimosis mista lituris.  
 104 Accipio : tremuere manus, et vena resedit.  
 105 Aspicio : ah ! Superi norunt, quo lumine visam.  
 106 Destruo berillum, religataque signa resolvo :

107 heu ! cadit in terras. Bis sublevo, bisque relapsa est ;  
 108 pene et ego : quam dira mihi praesagia portat  
 109 littera ! dicebam. Vereor, ne lapsus in illa  
 110 haereat, ab ! Fato longe pejore legendus.  
 111 Id quod erat, dixi. Constricta ubi vincula laxo,  
 112 flebilium video temere congesta notarum  
 113 fragmina, et abruptos apices a cuspide pictos.  
 114 Charta rubet muto tabo. Tunc talia legi.  
 115 Ense vides scriptam, quae venit Epistola ferro  
 116 cincta. Steti vultu paullum cunctantior alto,  
 117 laeta an maesta mihi perscriberet, inscia. Pergo.  
 118 Ne rubras mirare notas : liquor abfuit ater.  
 119 Vasculum id, unde latex calamis hauritur aduncis,  
 120 cassis erat. Ludos, jam tandem adverto, jocosos  
 121 laeta soror celebrat ludos : quia scilicet ensis  
 122 est calamus, merito galeis intinxit et ostro.  
 123 Fors iit in silvas, et jam venabula torquet,  
 124 Diana laudante manum, mirante Lycaste.  
 125 Unde cruentato, quod tinxit bellua, telo,  
 126 ut pharetratarum mos est soribendo Sororum,  
 127 juvitare meos ad se quoque gestit amores.  
 128 Sed cur festivos tam tristi tempore soles  
 129 circumagat, calidisque feras sudoribus urat ?  
 130 Nec solet hoc. Et jam tempestas ferrea Martis  
 131 longe aliud suadet. Vel blandis ludimur ipsae  
 132 versibus, aut aliquid, quod nec divino, latebit.  
 133 Qualiicumque tamen tibi missa haec littera portat,  
 134 perlege : sic ergo ? Lecturam nonne putasti ;  
 135 si non ut legerem, monuisses ante ? Legenda  
 136 qualiicumque mihi. Nempe ut mala nostra legamus,  
 137 cogi debemus. Bona, quae scribuntur amicis,  
 138 lecta placent, non est opus, ut moneantur ; et ultro  
 139 arripiunt : sua nemo sibi, puto, gaudia durus  
 140 invidet. Incipio : (Dii me ! ) Quod nolo vereri.  
 141 Tillius in campo cecidit : sint omnia vana, et  
 142 falsa, precor : vel si cecidit succurrite lapso  
 143 o ! Superi, bellique duces ! Grassatur et instat  
 144 Suecus. Et haec opte tristis mendacia famae  
 145 in fumos abeant : aut si superaverit amnem,  
 146 Vindelicis mergatur aquis, torrente profundo  
 147 raptus. Habes summam. Satis est. Quid denique restat ?  
 148 Tillius occubuit. Lecto hoc plorare volebam,  
 149 non potui lacrimas inclusit magna doloris  
 150 vis subiti : hoc tandem protrusi : ad Caesaris ibo.

HIC BOIARIA ITERUM CONSURGENS, MAGNIFICE INGEMUIT.

T7 v.1 Quam semel incepto miseram desistere luctu  
 2 difficile est, frenove truces inhibere dolores,  
 3 ne peccent ! Jam pene malis assuevimus istis.  
 4 Delectant gemitus, et vim maeroris amamus.  
 5 Omnia tentavi, si quid componere posset  
 6 mentem incompositam, nimisque a cladibus haustam  
 7 esto : oculos claudam, videamque efflicta soporem :  
 8 se meus insinuans oculis, meus ille vagatur  
 9 Tillius, et numquam frustra conspectus oberrat.  
 10 Jam nimium pallens : (et toto expalleo vultu)

11 vulnera jam monstrans : (et iisdem saucior aegra)  
 12 jam morbo flagrans : (et tunc magis aestuo curis)  
 13 jam tamquam moriturus : (et in suspiria ducor)  
 14 jam me quaerenti similis : (respondeo muta)  
 15 mox etiam vita defectus : (et augeo fletum)  
 16 nonnumquam armati ducis obversatur imago :  
 17 protinus in venas intrat nova flamma, manūque  
 18 arma minax rapio, simul in discrimen itura.  
 19 Ceu coram videam, vel equestria frena tenentem,  
 20 hortantemque duces : peditum vel in agmine multa  
 21 mutantem imperia, et Patris cognomine laetum.  
 22 Vel terrae adstratum, vultuque ad sidera verso  
 23 tendentem palmas, deposcentemque triumphos.  
 24 Sit fixum semperque ratum : nec livar et audax  
 25 ambitio evertat. Quidquid laudavimus olim  
 26 heroum : seu mente pios, seu corpore castos,  
 27 seu blando sermone graves, seu moribus aequos,  
 28 seu manibus promptos, seu magno pectore fortes :  
 29 Tillius in sese cum toto pondere rerum  
 30 transtulit, et meruit multus, quamquam unus amari.

T8 v.1 Non poteram fari, tantum singultibus apta :  
 2 verbaque mandebam truculento plena dolore.  
 3 Nunc spondae incubui, rursum me passa levare,  
 4 mutatisque thronis sedi, tabulamque poposci :  
 5 in qua cum luctus paullum mansuesceret, aestu  
 6 libera, conceptis scripsi solatia verbis,  
 7 si tamen has tetigere manus. (Sermone modesto  
 8 asseruit, multumque gementem expressit amorem.)  
 9 Exin Caesareos postes et limina pulso,  
 10 si aut eram squalens, sparsisque inculta capillis :  
 11 atra toga, informi chlamys oblita murice, sertum  
 12 vilius, et solis curis diadema coruscum.  
 13 Postquam me affudi genibus, suspiria duxi,  
 14 et cum voce manus, ita fata : ideone tot annis  
 15 vicimus, ut nostris miles frueretur opimis  
 16 Barbarus, et sese satiaret cladibus Orbis ?  
 17 Vandalicus furor est : quid enim se misceat hostis  
 18 exterus imperio ? Nostris cur ensibus enses  
 19 opponit Scythicos ? Gruibusne ad Balthica natis  
 20 aequora, et ingentem pennis facientibus umbram,  
 21 Romanas aquilas parat infestare protervus ?  
 22 Pro scelus ! Obnixos cursu perrupit aquarum  
 23 torrentes, nostramque ferox molitur in Urbem  
 24 Suecus iter. Jam tot fluviorum tergora calcat,  
 25 quot reperit fecitque rates. Neptunus in alte  
 26 Oceano miratur, aquas sua in ostia volvi  
 27 Rubras, et pedibus trepidis : captivaque Rheni  
 28 brachia cornigeri dudum stupet, udaeque tabo  
 29 ostendit glaucis (sed et hae gemuere) puellis.  
 30 Danubius superest, cursuque citatior Oenus,  
 31 mobile par fratrum : quos si trajecerit, actum est.  
 32 Collum obtorta trahar, spoliūque immane tyranni,  
 33 ducar in aeterno damnatas frigore terras.  
 34 Scilicet ad Stephani turres ego signa videbo,  
 35 Gustavi defixa manu ? Vel capta Getarum

36 uxores ancilla sequar ? Neu dedecus istud  
 37 neu Superi manare sinant. Prohibete : quis autem  
 38 in terris prohibet ? Tantis par Tillius ausis  
 39 occubuit : casuque ducis se erexit Adolphus  
 40 dirior, et nimiis etiam successibus audax  
 41 crudelesque neces, horrendaque fata minatur.  
 42 Usque adeo ? Nempe hoc ? Potuitne ? O Numen ! Et iste ?  
 43 Cur vero exarsit ? Quid tandem ? Igiturne profundis  
 44 nos mersurus aquis, vel calcaturus equis nos ?  
 45 Atque utinam citius, si stragem debeo fatis !  
 46 Urbes convellit flammis, vel tale tributum  
 47 exigit, ut gemini lucretur damna doloris.  
 48 Ac nisi claudatur cavea trux bellua, paenam  
 49 imponet lacrimis. Aurum cogetur avaro  
 50 pro gemitu praebere puer : certisque diebus  
 51 lugubre vectigal nostri dabit halitus oris.  
 52 Vulnere nulla vacat regio : grassatus abique  
 53 proventu scelerum vixit. Nec tanta superbus  
 54 Bella catenavit factis, aut gessit in armis,  
 55 quanta minax jactat. Campis ignavior haeret :  
 56 dum multa faece exundet, numeroque rebeli  
 57 terreat obstantes. Tunc primum saevior instat,  
 58 et spoliis accingit iter. Sic messe cadente  
 59 autumnoque orto Magden- lacrimabile -Burgum ;  
 60 aut potius bustum, timidus certare, reliquit.  
 61 Tandem stricturus gladios, sibi Saxona primum  
 62 immolat, et vincit victus : quia victor abusus  
 63 mortibus, (ergo nefas ! ) et quod crudele, suorum est.  
 64 Hunc, nisi desistat, Caesar, deposco feriri :  
 65 regia Tilliacos ut placet victima manes.  
 66 Sic fata in vultum moderantis lumina fixi.  
 67 Ingemuit Caesar : placido mox laetior ore :  
 68 vive mea, et store sine luctibus, Austria : quamquam  
 69 Suecus nunc regnet, tandem tamen occidet ille :  
 70 fide Deo. Dixit, vultumque ad sidera torsit.

## EPISTOLA AUSTRIAE

T9 v.1 Hanc tibi, quam mallet coram praestare salutem,  
 2 Austria Boiariae mittit amata suae.  
 3 Cum simul affictas casus conjunxerit unus :  
 4 differt scribendi cur utriusque modus ?  
 5 Sanguine tu scribis ; lacrimis ego perpluo chartam.  
 6 Ferrea penna tibi est : penna Aquilina mihi.  
 7 Ut vidi gemmamque tuam, transmissaque legi :  
 8 lapsa est ex manibus littera rubra meis.  
 9 Turbidus horror iit per membra, geluque cucurrit :  
 10 et subito crines diriguere metu.  
 11 Me quoque tangit amor, vocat in consortia funus :  
 12 et cupio luctu non minus ipsa frui.  
 13 Quas in tot bellis socias Victoria junxit,  
 14 non debet victas dissociare dolor.  
 15 Ille igitur cecidit ? (Vix possum scribere nomen)  
 16 Tillius ille tuus mortuus, ille meus ?  
 17 Dent Superi, precor, hoc, ut non dicatur inultus  
 18 Tillius ille tuus mortuus, ille meus.  
 19 Nec puto dicetur. Nisi me Rhamnusia fallit :

20 quondam etiam felix ardua bella gero.  
21 Et nostris vigor est Aquilis, et fulminis ira :  
22 exerit insurgens et tuus arma Leo.  
23 Auguror, an voveo ? Forsan Gustavus ad ipsum  
24 defuncti tumulum victima digna cadet.  
25 O utinam tunc, cum primo se tradidit Euro,  
26 haesisset mediis naufraga classis aquis !  
27 Aut vaga per scopulos lacerae fragmenta carina  
28 sparsisses ventis, Aeole magne, tuis.  
29 Non tam crudelem vidisset Lipsia pugnam :  
30 nec pars imperii nobilis usta foret.  
31 Extimui, fateor : quando vicinior hostis  
32 moverat in campos, Francia maesta, tuos.  
33 Et dixi : ab ! properat : quis enim tardabit euntem ?  
34 Area regalis si modo capta patet ?  
35 Quam vereor, ne, quae tulit urbs sibi nomen ab herba,  
36 herbam cum botris porrigat illa suis.  
37 Usque adeo semper crescit mihi caussa timoris ;  
38 et videor numquam posse timere satis.  
39 Sive rotat cornu taurino robore Suecus :  
40 arbitror hoc Siculo fortius esse bove.  
41 Sive Bovis stellam mediis accendit in armis :  
42 stella Bovis visa est esse cometa mihi.  
43 Sive suum Mortem (pro formidabile nomen ! )  
44 misit : et hic Erebi dux mihi visus erat.  
45 Nunc quoque Danubio si quae delabitur alnus,  
46 quaero ego : dic, belle Boica Diva valet ?  
47 Cum male, respondet : Superi ! meliora ! repono :  
48 non his, non istis est Dea digna malis.  
49 In te fingo trucem populum crudelius ire,  
50 et consanguineas depopulare genas.  
51 Austria quid fingis ? Nimis haec sunt vera : Penates  
52 occupat, et sacrum jam quatit ense caput.  
53 Missa tibi nuper narravit epistola, quid sit,  
54 Finlandos uno sustinuisse die.  
55 Tecta flagrant, urbes ardent, altaria fumant,  
56 jamque catenato clauditur amne Lycus.  
57 Audio et Anglipolim tentatam, ipsumque potentis  
58 flumen Danubii, cornigerumque patrem.  
59 Atque aliquis conviva mihi solatia testis  
60 laturus, pinxit Suecica castra mero.  
61 Hic, ait, ad portas, qua se spumiosior explens  
62 alveus, effossa stat novus agger humo.  
63 Non procul hinc aliud succrevit in aera vallum :  
64 quod sudibus sepes undique dura premit.  
65 Hic erexerunt speculas et inutile vallum,  
66 furca ubi praedones strangulat alta reos.  
67 Inde ubi decursu fluvius spatiosior arcu  
68 imminet, ex ratibus machina structa fuit.  
69 Vix credas, quantis furiis, quo turbine pontem  
70 impulerit nostro Marte repulsa cohors.  
71 Bis tentavit iter, bis non evicit : et iras  
72 consumpsit frustra, magnanimumque nefas.  
73 Talia monstravit digito, quae scire juvabat :  
74 pene operi praesens tunc mihi visa fui.  
75 Id quoque percepi, quod torta glande peremptus  
76 lustrantis fuerit moenia Regis equus :  
77 vellem, ut eques. Sed et hoc certo dabit ordine fatum :



78 ut mihi praedicunt martyris ossa mei.  
 79 Tu modo fide soror. Sic per communia tecum  
 80 gaudia, per thalamis debita jura sacris :  
 81 perque tuum, quo non Princeps devinctior ullus  
 82 est mihi, perque tui principis oro Patrem :  
 83 fide, nec indubita nobis ; veniemus ad arma.  
 84 Ipsa adero, et mecum, qui meus alter, eris.  
 85 Interea pugna, Suecumque elude tumentem :  
 86 Martis Amazonii tempus adesse puta.  
 87 Occurrat menti telis instructa Camilla,  
 88 quaeque manu peltam Penthesilea gerit.  
 89 Fac quoque, cum pugnans, oculis ut semper oberret  
 90 mortuus ille tuus Tillius, ille meus.  
 91 Ille suos cineres inimica effundet in ora :  
 92 bellatrixque novas afferet umbra manus.  
 93 Sed quoties hastam crispas, atque agmina caedis ;  
 94 Austria, dic Geticas has tibi libo neces.  
 95 Scilicet exhorter tantum, jaceamque Vienna ?  
 96 Te jubeam valida sumere tela manu ?  
 97 Me sine pro muris, sine me vigilabis in agris ?  
 98 Nos somno interea deside luxus alet ?  
 99 Tu galeam portes ; egoserta nitentia gemmis ?  
 100 Tu rigeas chalybis, muricis instar ego ?  
 101 Surge potens rerum moderatrix Austria, surge :  
 102 Austria, quin pugnax protinus arma rapis ?  
 103 Imperium nutat, jactat sua Barbarus arma :  
 104 Austria quin pugnax protinus arma rapis ?  
 105 Quae jurata tuis famulari debuit hastis  
 106 illa datam fregit Norica terra fidem.  
 107 Obsequium toties aquilis victricibus Ulma  
 108 promittens, sacras Ulma fefellit aves.  
 109 Denique perjurae quot sunt cum civibus urbes ?  
 110 Austria, quin pugnax protinus arma rapis ?  
 111 Insultat Saxo, nec te putat esse timendam,  
 112 postquam vixisti Carole Quinte mihi.  
 113 Qui te debebant alii defendere, fallunt.  
 114 Austria, quin pugnax protinus arma rapis ?  
 115 Ora favos spargunt, set pectus : Scipio labris,  
 116 mentibus infidis Hannibal Afer inest.  
 117 Insuper aequoreis terret Rex navita phocis :  
 118 Austria, quin pugnax protinus arma rapis ?

CHORUS II. MILITUM PROBORUM CANIT LAUDES, EORUMQUE VITAM ET HONORES ...

T10 v.1 Voto si liceat frui,  
 2 optem militiam magis,  
 3 quam lites humilis fori,  
 4 et pacem trepidam sequi.  
 5 Agat hic causas, maestosque reos  
 6 emptae linguae tueatur ope.  
 7 Ille diserto mollior ore  
 8 liquidos trumat gutture fluvios,  
 9 moveatque levem, quo vult, populum.  
 10 Mihi bellum, mihi Mavors  
 11 placet, et quae truculento  
 12 ardet gloria vultu.  
 13 Hic consiliis impleat Urbem

14 atque Senatum, decoretque togam :  
 15 ille superbi vertice capitis  
 16 quatiat nubes, stellasque trahat,  
 17 septemque viros sciat errantes  
 18 axe planetas, arte Atracia  
 19 sistere pavidos. Faciem triplicis  
 20 videat Lunae ; cur in nemore  
 21 alio gressu vadat et habitu :  
 22 cur sanguineos maculet radios,  
 23 Quando fratrem gemit absentem,  
 24 inter cornua subeunte globo,  
 25 discere studeat.  
 26 Alius magno vagus ingenio  
 27 scrutetur aquas, gremiumque maris :  
 28 quidquid genitrix Natura dedit,  
 29 Tellusque ferax, quidquid volucrum  
 30 natat in caelo, pennisque levens  
 31 remigat aera, docilas mentis  
 32 premat aucupio, norit quatuor  
 33 elementa suis quadrare locis.  
 34 Alter potius citharis trepidet,  
 35 ludatque chely, sinistraque tinnula  
 36 errante manu feriat docte.  
 37 Aut cui sterilis sapie ambitio,  
 38 intret in aulas, laqueata terat  
 39 Verna palatia, quaerat Dominum,  
 40 discatque duplex curvare genu,  
 41 et servili pallere metu.  
 42 Ego bellum tamen inter numerosos  
 43 sequar hostes. Mihi ferri seges alta  
 44 placet, et qui rubet ensis : pharetrarum  
 45 rude textum, jaculorum leve fulgur.  
 46 Galearum placet horror, capulorum  
 47 placet aurum. Pede quidquid generoso  
 48 quatit agros, quatit urbes, quatit hostes :  
 49 ego semper venerabor, cupiamque  
 50 aliquo sub duce belli nova castra  
 51 meditari, pretiosas ubi praedas  
 52 spoliolum vehit amplo rota currus :  
 53 ubi captus gemit hostis sine telo :  
 54 ubi stridor lituorum replet aures :  
 55 tuba clangit, sonat Echo, tonat aether,  
 56 peditumque ac equitantum volat ala,  
 57 et victoria nobilis.  
 58 Virtute nixus miles, et vita probus  
 59 Laudes meretur, atque congiarium.  
 60 Ille dum vivit, nihil aestimare  
 61 debet argentum, vel inelegantes  
 62 laminas auri, nitidum vaporem.  
 63 Quaerat aeternae pretiosa vitae  
 64 saecula, et laudem, spoliolumque famae  
 65 auferat hosti.  
 66 Illi cita mors optata venit :  
 67 nec dolet humanis aliquando excedere castris :  
 68 quaelibet hora est ultima vigili :  
 69 vulnera magna sibi contusis vultibus optat :  
 70 exsultatque sub ictu.  
 71 Ex fago bibat, anne consulari

72 poculo, haud curat. Stupidas paludes  
 73 exhaurit galea. Sitimque tali  
 74 nectare tollit.  
 75 Mucidum panem, Cererisque frustum  
 76 vile semesae rapit esuritor,  
 77 et lovis spernit cerebrum, suaque  
 78 Caesar in olla est.  
 79 Sic sic beamur, et novi sumus Dii.  
 80 Quid duci bellum potuit nocere  
 81 Tillio ? Vitaeque rigor, laborque  
 82 Longus, et somnus brevis, et ciatrix  
 83 denique octava ? Emeritus triumphum  
 84 Morte conclusit sibi destinatum.  
 85 Interim nostrum tibi magne planctum  
 86 consecrat Tilly miserandus Orbis :  
 87 quem reliquisti, meliore laetus.  
 88 Heu nos miseros ! Quem deflemus,  
 89 fors e mediis rideat astris.  
 90 Promite lacrimas, condite lacrimas.

ALEMANNIA SIC FUNUS AFFATA EST.

T11 v.1 Tu belli sublimis honor : sic iudicat hostis.  
 2 Optatae tu pacis amor : sic aestimat orbis.  
 3 Te vivente, nihil, multis licet obruta curis,  
 4 extimui : nam caede rubens et squalida luctu,  
 5 solabar me Marte tuo. Capitisque severo  
 6 erexi crines madidos Alemannia Rheno.  
 7 Te moriente, dies obscuro condita peplo  
 8 solis iter fugit, rur sumque ululanda sub undas  
 9 descendi prono supplex Alemannia vultu.  
 10 Te pugnante, tubas inflavit vividus aer :  
 11 et (scis ipse) Deus, Deus in tua proelia venit.  
 12 Te vincente, nihil saevi clementia vidit,  
 13 nil crudele minis, nihil illaetabile factis,  
 14 sed miti sermone pium per consona castra  
 15 absque super vacuo captos mulcere tumultu.  
 16 Quem pugnans timuit, miles devictus amavit.  
 17 Cum furor incaluit, primus tu stringere ferrum :  
 18 quo victor sopire tubam fremitumque solebas.  
 19 Quemque coruscabas pugna durante cruentum,  
 20 post pugnam siccum gladium vagina recepit.  
 21 O ! vere tutela ducum, generosaque magni  
 22 militis effigies, et nostri gloria belli !  
 23 (Dixit, et ad sacram contorsit lumina tumbam.)

GALLIA M. TILLII PROELIA MEMORAT

T12 v.1 Si licet in tanto luctu, mea Numina reges  
 2 Henricos memorare meos, manesque beatos :  
 3 et tua laus, Tilly, numquam magis ore deserto  
 4 nobilitata trahet pondus venerabile famae :  
 5 Tuque meis umbris similem debebis amorem.  
 6 Tot fortes inter Gallos ea proelia dextro  
 7 Marte secundasti : quaesi vel sola micarent  
 8 inter tot titulos, tibi quos Alemannia fixit,

9 auderet nullus tantis certare triumphis.  
 10 An referam insolito pacatos more tumultus,  
 11 quos Argentinae mixtos Lotharingia sensit ?  
 12 Illane bella, quibus felix inclaruit olim  
 13 Guisius, et nostrae celebrem se reddidit aulae ?  
 14 Vos rapidi Ligeris ripae, multoque cruenta  
 15 sanguine, et Alveti loca mortibus horrida testor :  
 16 dicite Germani (caput hic Germania movit,  
 17 arrexitque aures) quos urunt pessima tetri  
 18 stigmata Calvinii : quanta cum strage fugatum  
 19 Teutoniae nimbum contorta Tillius hasta  
 20 reppulerit, rubroque vias foedaverit imbres.  
 21 Dicite vibrato decorati tergora flore,  
 22 quam valido nervo formidandisque lacertis  
 23 contuderit frontes perfrictas, qualibus armis  
 24 agmina constratis late fumantia campis.  
 25 Ardebant galeae flammis, sed corda rigeabant  
 26 frigoribus timidis : plena ergo per ostia Manes  
 27 corpore detrusi Stygias adiere paludes.  
 28 Auditi fremitus animarum, inimica jacentum  
 29 sibila : calcati pedibus populariter artus  
 30 Lernam exspirarunt ! Sic, sic post fulmen inanis  
 31 miles, et exanimis, cinerique admotus hiavit.  
 32 Dira sub effossis, et adhuc lugentibus arvis,  
 33 Ossa sonant, quando glebas proscindit arator :  
 34 messorisque hebetant inventa cadavera falces.  
 35 Qua summos apices fert mons Belicardus in auras,  
 36 ensibus et clypeis exstructus inhorruit agger.  
 37 Ultor Tilliaca debet tot funera dextrae.  
 38 (Dicere plura parans nequirit : sive arduus haustam  
 39 abstulerit vocem dolor et luctantia verba :  
 40 sive repentinus lacrimarum affluxerit imber :  
 41 sive aliquid, quod non scimus, maestissima solum  
 42 aspexit tumbam, multumque est muta locuta.)

#### CONTENDIT ALEMANNIA

T13 v.1 Non veterum pugnas, et mundi funera planctu  
 2 elevo : nec Trebiam contemno, nec Allia, nec qui  
 3 implevit stagnante lacus Capitolia tabo.  
 4 Id contendo tamen (dictis reverentia veri,  
 5 Astraetaeque manus momentum ponderis addant)  
 6 a nostris bellis tantum distare vetusta ;  
 7 temporibus nostris quantum quoque tempora distant.  
 8 Jactet Roma suos, (Roma hoc non audiit, ante  
 9 funeris aspectum perstans, fixisque verendum  
 10 contemplata oculis. Verum esto : audiverit, esto  
 11 invita : in faciem dici haec praeconia possunt.)  
 12 Jactet eos igitur : tam quos nutriverat Acca,  
 13 et lupa lactavit : quam quos in templa reversos  
 14 regibus expulsis, et ovantes hoste subacto  
 15 sextum consulibus duxit comitantibus agmen.  
 16 Ponte natans secto Cocles spectacula fecit :  
 17 construxit subito pontem non Tillius unum.  
 18 Mutius in flamma, per flammam liberat urbem :  
 19 ignibus a stygiis incensum Tillius orbem.

20 Non potuit Brutus Regi parere superbo :  
21 Tillius excussit sceptrum brumale tyranno.  
22 Fabricius pace oblatum contempserat aurum :  
23 Tillius ex praeda collectum respuit aurum.  
24 Stat defensa suo rupes Tarpeia Camillo :  
25 nunc quoque morte tua, Tilly, casuque tuo stat.  
26 Corvinus victis semper post bella pepercit :  
27 nullius meruit post proelia Tillius iram.  
28 Cunctando Fabius lentatum macerat hostem :  
29 consiliis scivit vaftris quoque Tillius uti.  
30 Scipto Poenorum fallaces contudit astus :  
31 saepius occultas elusit Tillius artes.  
32 Lustrales animas Decii effudere duello :  
33 Tillius impendit veris sua vulnera bellis.  
34 Ille gubernavit secure Martis habenas :  
35 quas modo laxabat, modo constringebat, ut ipse  
36 solus in his docilis poterat. Nam muneris hujus  
37 consortes nullos habuit sociosque triumphi.  
38 Nec tantum teneros Persas, quibus omnis ab auro  
39 venit honos capuli, vaginaque cincta smaragdis,  
40 congressus fudit, seu quam de mollibus arvis  
41 Bosphorus imbellem deducit in agmina Lunam.  
42 Arma virosque vir armatus, metuendaque fudit  
43 Dux metuendus, et ingentes ingentior hostes.  
44 Ut mihi gaudenti sese jam Praga rebellis  
45 obicit, et stellam, quae lubrica sanguine fulsit  
46 dirius, inclusaque feras conterruit horti :  
47 ut stolido terrore ferox Turlacius arma  
48 concrepat, et rigidos, silvam velut histicis, axes  
49 Bellatrix Wimpfena quatit. Formidine grata  
50 cor tremit et veteres perplexa revolvo timores.  
51 Contemplor rigidas acies : uligine putre  
52 calco solum, et fragiles cannas, Cannasque rubentes.  
53 Ut se Halberstadius celeratis passibus infert,  
54 non nisi mactato positurus Caesare ferrum.  
55 Sacrilegae dant jura manus, merguntur in ora  
56 crudeles gladii, collisque impacta securis  
57 crebra rubet : densi strident ad funera Manes.  
58 Ipse autem regale tumens, cum Numine Divos  
59 infestat proceres, ipsisque assibilat astris.  
60 Sed Moeno testante cadit, viditque cruenta  
61 strage inarata suos crevisse Echsfeldia campos.  
62 Te quoque Danorum bustum fatale, Lutherum  
63 efflantem cineres, congestaque conspicio ossa.  
64 Moverat immanes tempestas Cimbrica fluctus  
65 regali Tritone ferox, cum pene quiescent  
66 proelia, et in Martis dormirent fessa grabato,  
67 ingenti Saxo) stagnum, infamesque paludes  
68 deseruit, nostris ausus concurrere telis  
69 Cimber, et audaci flatu irritare leonem.  
70 Et jam porrectis per campos cornibus ibat  
71 immodicus, lateque minas spargebat in urbes.  
72 Cum meus opponit demum se Tillius, et stat.  
73 Stant utrinque acies. (Ac si isthoc lumine cernam  
74 praesentes acies, et adhuc a strage feroces.  
75 Praesertim vulpem, quae pellem exuta dolosque  
76 desiit imperii geminas gannire per aulas.)  
77 Pugnatur. Vincit, qui sic consuevit. In algam,

78 quos fuga servavit, patriam fugere, suumque  
79 nunc etiam Marium didicerunt vivere Cimbri.  
80 Scilicet hes Virtus domuit robustior hostes.  
81 Hos, inquam, quibus arma furor rabiesque nocendi  
82 saeva ministravit : Cadmaei semina dentis,  
83 Aetnaeos fratres, et monstra immania terrae  
84 subdidit imperio. Facile est, hoc credere famae  
85 narranti : audacem porrexit cautus, inertem  
86 strenuus, argutus stolidum ; robustus et acer  
87 infirmum ac segnem, trepidum formidine fortis,  
88 denique multi unum. Facile est, hoc credere famae.  
89 At non hoc aevo nostro. Sors altera belle  
90 exiit in campum. Majora pericula praesens  
91 Bistonio Gradivus equo, deterrima vexit  
92 proelia, et impulsas fatis pejoribus hastas.  
93 (Audiit et maesto protrusit ab ore cachinnum :  
94 mallet ego plorasset : tantus fuit horror in illo)  
95 vincere vel tarde, vel non constanter, et hostem  
96 vincere cum damno, vinci fuit, immo subinde  
97 vinci, vincere erat : mutatas ordine miro  
98 alternante vices, et numquam ad limina Jano  
99 stante eadem. Quare plus quam mortalibus armis  
100 in me certatum est. Sed in haec et in illa paratus  
101 Tillius audaces ferro, temereque vagantes  
102 adventu subito, furiosos debuit ira  
103 opprimere, et celeres veloci prendere cursu.  
104 Consilio astutos subvertere, nocte latentes  
105 eruere in solem, fingentes fallere, furta  
106 ingeniosa novis, textasque retexere fraudes  
107 frandibus oppositis. Scire et fugientibus uti  
108 et timidis, solumque metum simulare paratis.  
109 Non est in quovis, non est in pectore factus  
110 ex virtute adamas. Similem si multa vel unum  
111 ostendere ducem constantia saecula ferro :  
112 Hoc satis est. Siquidem pauci prandere merentur  
113 Cum Marte ad Rhodopen Hebrumque, et dicere : frater !  
114 Hanc glaciem ex galea libo tibi sanguine mixtam.  
115 Responde, et bibesis : magnae cratera supina  
116 cassidis, et totum fuso te proluere tabo.  
117 Dein simul in Dacos, Cimbrosque movebimus arma.  
118 Frater ! Mutemus clypeos. (Jam laetior ore.  
119 Risus difflabat Martem, sed semper amari  
120 iratique aliquid servat, nimiumque virilis)  
121 frater ! Et umbo tuus mihi convenit : aspice, quantum  
122 hic deceat gladius. Viden, an mea lancea major.  
123 An tua sit ? Noster non est tam frigidus ensis :  
124 stragibus incaluit : quin tu quoque mortibus uris,  
125 expellisque gelu ? Simul irrumpamus in hostes.  
126 Nempe quis haec dicat Marti, nisi Tillius et quem  
127 talia jactantem de se ferat ille, nisi illum ?  
128 Cedite Marcelli Curiique, et dura Catonis  
129 majestas : et qui Romanis caedibus olim  
130 Cannarum memores patria poscente, vacastis.  
131 Ut vos non sperno, sic nec praeponere possum.  
132 Si tamen in nostrum transferri nomina bellum  
133 vestra placet, praedico : opus est patientibus Umbris :  
134 quas nullo stimulet non debita gloria fastu.  
135 Agmine nam longo praecedet Tillius omnes.

136 Ac post hunc primum, Roma et Carthago sequetur :  
137 vos quoque.

BELGIUM VARIIS ANIMI DIRIPITUR PERTURBATIONIBUS OB M. TILLII MORTEM...

T14 v.1 Hunc igitur potui post tot mea fata dolorem,  
2 et tantum sperare nefas a milite Sueco ?  
3 Ille ingens animus mortales exuit artus ?  
4 Condite jam ferrum, qui sic meruistis ab hoste  
5 prosterni, ut ducis unius jectura subiret  
6 casorum numerum : memorabitur hoc quoque bellum,  
7 quo cecidit tantus, fatis urgentibus, Heros.  
8 Tu quoque non nimis infelix : qui dignus aheno  
9 ex serpente globum torquere et fundere glandes,  
10 successum jactare potes ; tantoque superbus  
11 vulnere, Vandalicis cum laude excedere castris.  
12 Plus spolii fortuna dedit, quam poscere vota  
13 debebant. Quisquis tamen hoc te crimine latum  
14 fecisti, nocuisse puta tibi gaudia culpae :  
15 et Martem Nemesinque time, propriosque lacertos.  
16 Heu ! quae saevities luctus, quis luctus amoris,  
17 quisque doloris amor maestam occupat inter eundum !  
18 Tristis in affectus feror : atque ut flantibus Euris  
19 cymba natans premitur, curritque hinc inde repulsa.  
20 Sic animus nutans Vario torrente rotatur.  
21 Exsultem ? Doleamne ? An amem ? An detester ? Et odi  
22 et cupio. Similis quae mens mihi ? Plurima sensus  
23 irritant, mutantque vices, miramque fatigant  
24 naturam. Gavisa fleo ; flens gaudeo : lata  
25 irascor : detestor amans, et amata relinquo  
26 tristis, et indignans hilares exerceo curas.  
27 Quod Belga in nostris natus sit Tillius oris,  
28 gaudeo : sed gemo, quod fatis concesserit. Odi  
29 funestum, quisquis contorsit missile plumbum.  
30 Et vulnus tamen istud amo : cui gloria tantum  
31 conciliat spatium, penitusque infringit hiatum  
32 ossibus. Indignor, quia tali tempore Caesar  
33 hunc Belgam amisit, qui si potuisset in horam  
34 servari, mediumve diem, ducis halitus unus,  
35 et quae sufficeret vox sola repellere Suecum,  
36 restitui linguae ; a Parcis debebat avaris  
37 Vita haec sexcentis redimi generosa talentis.  
38 Tillius ipse igitur pretium quam immane meretur !  
39 Est, ubi contemptus major videare, vel absens.  
40 Est, ubi difficilis certarum copia rerum  
41 auget, et extollit pretium. Quo semper ubique  
42 utimur, et cujus testes consuevimus esse ;  
43 denique desinimus mirari : gloria tamquam  
44 jam vetus, et languens ipso sorbetur ab usu.  
45 Haud aliter notae virtutis opinio sensim  
46 deteritur, minuitque suam praesentia famam.  
47 Sic igitur Lunae fratrem, Solisque sororem  
48 non ita suspicimus : quoniam moderante chorago  
49 perpetuo redeunt : licet in maris ima ferantur,  
50 Quando ad Neptuni tbalamos invisere currunt.  
51 Ille diem, haec noctem sublimi temperat igne :

52 ille suo, haec qualem cognato lumine Phoebi  
53 menstrua corradit : spectandi dira libido  
54 tunc urget, centumque oculos violentius Argi  
55 suscitatur, armatis quando concurritur astris,  
56 et miseros patitur manes obscurus Apollo ;  
57 bigaque Thessalicis vexata laboribus errat.  
58 Saepe adeo diras facies, et bella cruentae  
59 noctis, et ingentes terris expavimus umbras.  
60 Ver pulchrum est, totoque micat formosius anno.  
61 Sed cum praeteriit labens, et stella canina  
62 ringitur, ac calidis urit latratibus auras :  
63 veris honor crescit, majoraque vota meretur.  
64 Tillius ut semper magnus, sic maximus absens,  
65 ludiciis etiam censeretur debet iniquis.  
66 Magnificam invidiam vivus toleravit, ab hoste  
67 mortuus expressit laudem : liventia corda  
68 contudit, invitisque oculis ingessit amorem.  
69 Namque ubi coeperunt tali duce castra carere ;  
70 tunc sua nimirum justa discrimina lance  
71 librarunt, ingens et totum pondus in una  
72 Tillius unus erat : jamque exoriente tumultu  
73 jam tardante mora, maestisque eventibus aegro  
74 milite, et interea claro successibus hoste,  
75 torpuit attonitus positus exercitus armis.  
76 Unica vox resonat : Tilly ! Fortissime Tilly !  
77 sic nos deserimur ? Nec jam te absente valemus  
78 stringere, quae quondam, robustis arma lacertis ?  
79 Sunt tamen haec eadem, sumus et, nisi fallor, iidem :  
80 Dux tamen haud idem est. Quo decedente, relictis  
81 pessima successit miserandae tessera sortis.  
82 Ergo tuum vulnus nos detruncavit, et omnes  
83 prostravit casus tuus, afflixitque ruina.  
84 Tu noster numerus, paucis bellantibus olim,  
85 milia solus eras, et plus quam milia centum.  
86 Ut si qui aequoream cupiant torquere carinam,  
87 (ceu facile) et remis alios damnare movendis.  
88 Obtinet imperium navale peritior unus  
89 a puero tentare vadum, fluctusque minaces  
90 scindere. Quamquam illo puppim clavumque regente  
91 cetera turba silet, nec tanti praesidis artem  
92 aestimat. In terra Triton et Nereus undas  
93 commovet. Accurrunt montes, Aquiloque remugit.  
94 Et sustollit arenam, aestumque accendit in imo.  
95 Excutitur pronus vento stridente magister :  
96 (id casu.) Ergo ingens clamor, fremitusque dolore  
97 mistus in attonitis, et jam pallentibus errat,  
98 exercetque metus miseros, fastumque flagellat  
99 praeteritum : ad remos, et transtra immanibus omnes  
100 sudant verberibus : subit hic, subit ille : laborant  
101 nequicquam. Abrisitur navis compage soluta,  
102 (et posset tamen arte regi) geminique Lacones  
103 frustra clamantur. Sed desperantibus aestus  
104 subvenit Oceani fortunaque prospera : magno  
105 nam fluctu ad littus simul ejiciuntur. Id unum  
106 praestitis incolumes. At non jam vilis aequo  
107 navarchum pendunt, sed adorant Numinis instar  
108 caerulei, geminoque Deum prae Castore laudant.  
109 Tu, neque diffiteor Tilly, tu turbine in isto



110 bellorum, quae sanguineas truserunt procellas,  
 111 noster eras Tiphys, noster Palinurus in undis.  
 112 Jam vero clavum quis, te moriente, relictum  
 113 attrectare ausus ? Potuitque evincere fluctus,  
 114 quos despumavit mare Balthicum, et incola vasti  
 115 gurgitis evolvit grandi balaena natatu ?  
 116 Quae tot jam fontes, et stagna, et flumina sorbens  
 117 siccavit : (quid enim parvus Lycus ? ) ista tremendi  
 118 matrem et natis, vix dum satur aequore Rheni,  
 119 Danubio, Germane, tuo Tiberique minatur :  
 120 pando aliquid, plausumque peto. Gustavus, et ipse  
 121 Tillius, ex nostro didicerunt bella theatro.  
 122 Nempe utrumque ducem docui, tentare triumphos,  
 123 et clangore frui. Lustris antiquior octo  
 124 Tillius ordiri quando sua proelia coepit :  
 125 vah ! Gustavus adhuc nondum : et si natus, in alga  
 126 reptabat ; tam parvus adhuc : fortasse natando  
 127 (si multum) poterat pisces aequare minores.  
 128 Post tamen accepi docilem satis. Atque pharetra  
 129 instructum in terra, qua sum mihi saepe rebellis.  
 130 Qua vero pacata pio sub Numine dego,  
 131 ardua Tilliacae spectavi exorsa palaestrae.  
 132 Huic belli praecepta dedit Mauritius, illi  
 133 Magnus Alexander Princeps Farnesius : ambo  
 134 heroes. Hic adhuc juvenis traducere primum  
 135 coepit equum, non est minimis exorsus ab armis  
 136 ille etiam a nitro, primoque a pulvere miles  
 137 promovit per facta gradum : quot passibus ivit,  
 138 tot meruit titulos ; et quae vestigia bellis  
 139 signavit, virtutis erant. Recto ordine crudis  
 140 Clarus ab auspiciis, tandem luctatus ad hastam  
 141 sustulit ingenuus vires, et nomina jussus  
 142 cum duce mutavit. Gustavus furta, dolosve  
 143 maluit, et miras bellorum noscere fraudes,  
 144 quam vero Mars esse sago. Scit callidus artes,  
 145 exercetque simul Batavas : remoratur, et instat,  
 146 et premit, et cedit, rursusque abeuntibus astum  
 147 intorquet, falsosque metus. Si instruxeris agmen  
 148 in campo, fugiet : si fugeris, ipse sequetur,  
 149 uteturque fuga. Gaudet mendacia vulgo  
 150 Spargere, et imbellem portentis tundere plebem,  
 151 ceu major, meliorque foret : ceu maxima secum  
 152 agmina ductaret, bellatricesque catervas.  
 153 Cum tamen excussos, lixas plerumque caducos,  
 154 invalidumque trahat numerum, facilemque fugari.  
 155 Exploratores speculis hostilibus aptos  
 156 immani pretio solers emit, et quasi totum  
 157 nervum his impendit. Quod si lucretur et hostem  
 158 pollicitis, vanoque linat speciosius ostro ;  
 159 tunc audax, tunc fortis erit, tunc magna secabit  
 160 flumina, et Aeolios spirabit turgidus utres.  
 161 Non facile armatam validamque obsederit urbem,  
 162 constanti virtute potens timet ille feroces :  
 163 in timidos feret est, et inertes fortius urget.  
 164 Si tamen expugnet fortuna adjutus et astu,  
 165 vel missa clavi portas patefecerit ultro  
 166 territus, ac sola contentus pace senator :  
 167 mutabit Suecus vultum, clementior aurum

168 exiget, et finget casuris parcere tectis.  
169 Quos sibi subjecit vel vi, vel amore, metuque,  
170 principio facili, nec stricto jure gubernat,  
171 justitiae rectique tenax, moderamine visus  
172 prudenti remove malum, legumque vigorem  
173 propositis nutrire bonis ; nec velle, tyranni  
174 more, flagellatos in vincula mittere cives.  
175 Sed simulat. Sic emulget ; laudatur et odit :  
176 laudat et excruciat damnis fraus tecta sub istis  
177 Maeandris latet, ac truculenti larva furoris.  
178 Esto, hilari vultu meditetur mitia verba,  
179 nec violet foedus ; dum suadent commoda pacis  
180 Hannibal ingenio fallax indulget, amatque  
181 texere fucata telam. Nam si omnia victor  
182 sterneret : et semper captas saeviret in urbes :  
183 Quis timidus civis talis se dederet hosti ?  
184 Quis molliret iter ? Venienti pabula gratis  
185 offerret, patriosque lares ? Tormenta paventes  
186 et pretium veniae nullum, nisi morte luendum,  
187 qua saltem possint furia obluctentur, et iras  
188 exacuant, et tela, et saxa ; priusquam occumbant.  
189 Spes adeo vitae simulanti plurima plures  
190 subiciet, matura satis succedet, et atrox  
191 saevities, quando crabrones moverit ardor,  
192 aut animi stimulus cerebrum percusserit oestro.  
193 Tunc spumis et bile fluens, promissa priora  
194 destruet, ac vera pensabit gaudia luctu.  
195 Tempora ruent, pretioque suo spoliabitur ara.  
196 Flagrabunt urbes, deformatique penates  
197 aedibus e laceris fugient, et in antra ferarum  
198 abdentur : sic ergo solet bellare Suecus.  
199 Sed celer est, ac quod ponendum in laude triumphis  
200 utitur, et numquam solo contentus honore :  
201 promovet id, quod habet : quod non habet, arte modisque  
202 omnibus attentat, causasque exquirat, et urget  
203 coepta, voluptatem docilis postponere lucro.  
204 Tillius et melior factis, et major ab annis,  
205 dignior et titulis. Et longo doctior usu,  
206 longe alius : nisi quod laudes vel in hoste canendas  
207 ipse quoque emeritus, belli possederit artem.  
208 Sed sine virtutes vitiis, sine crimine famam.  
209 Magnanimus, prudens etiam, cautusque : fidelis,  
210 et fortis : celer et solers : asperrimus hosti,  
211 et clemens victo : metuendis inclitus armis.  
212 Utilis et paci : felix, et castus, et acer,  
213 et pius : omne decus pectus confluit in unum :  
214 conjunctas numerat dotes, quas sparsio multis  
215 dividit : ille ausus justo concurrere bello,  
216 eminuit : caecas idem latebrasque dolosque  
217 hostiles facile effodit, nullique vicissim  
218 arguto patuit. Vim tempestate fremente  
219 sedavit : vel cum secreto glisceret igne  
220 civilis rabies, praevertit tempore flammam.  
221 Quam fuerit felix, potuit mihi dicere Praga :  
222 quam fortis, Wimpfena docet. Quam nobilis ultor,  
223 Cimber, et Odrysiae calvae testantur, et orbis  
224 judicat, et signis caelestibus annuit Aether.  
225 Hujus consilium si praevaluisset in aulis,

226 jam non Germanas temerasset Suecia terras.  
 227 Ab ! frustra gemimus : frustra transacta revolvo :  
 228 sum tamen his assueta malis. Quasi Belgica possint  
 229 abscondi. Thalamo Mavortis nupta cruenti,  
 230 jam sexaginta donavi stragibus annos  
 231 (audiit, et capulo firmat conubia tacto)  
 232 semper in hoc circo, populique immitis arena  
 233 cernere cognato perfusa cadavera tabo  
 234 cogimur invita : magna inter funera, Tilly  
 235 Tu quoque Magne jaces : sed non et fama jecebit.  
 236 (Dixit, et ad sacram contorsit lumina tumbam)

CHORUS III. ALEMANNIA.

T15 v.1 Nihil in mundo durat, et omnia  
 2 fragili titubant subnixa pede.  
 3 Patitur miseras natura vices :  
 4 et in alternas trahitur mortes  
 5 Vita renascens.  
 6 Leviora volant, graviora cadunt,  
 7 omnia pereunt, nihil est stabile.  
 8 Et quod miserum est, saepe celerius  
 9 majora ruunt, tumulusque brevis  
 10 Bella coercet.  
 11 Fortior aliquis fuerit Tillio ?  
 12 Dignior ullus vivere Tillio ?  
 13 Cecidit, cecidit Tillius ingens.  
 14 Alemanna parens, lacrimosa parens  
 15 funus adorat.  
 ALEM.  
 16 Effare, quis, quantusque, vel qualis fuit ?  
 17 Primo ante bellum.  
 CHOR.  
 18 Getula qualis bellua Rex Leo,  
 19 Quando otiatur, torvus et adspici,  
 20 immanis, in suo cubili  
 21 subsidet, et meditatur arma,  
 22 optatque bellum : jamque adeo suas  
 23 reservat iras, vimque recolligit  
 24 venae flagrantis, et futuro  
 25 exacuit grave robur hosti.  
 26 Nondum est in armis, nondum agitat jubas,  
 27 caudaque terram verberat, aut micat :  
 28 sed ore pando rugit altum :  
 29 inque globos salit, et jocando  
 30 unguis minaces temperat arduus.  
 31 Collude sodes. I Nasamon manu  
 32 mulce superbum vellus auro :  
 33 tange jubas : at enim feroci  
 34 insurget ille et proteret impetu  
 35 venabulorum obstantia robora.  
 36 Expergefecit iram, et agros  
 37 gaudet ovans iterum cruento  
 38 implere tabo.  
 39 Talis erat.

ALEM.

40 Cum signa bellorum dedit : campo data  
41 hostisne timuit signa ?

CHO.

42 Ut si Gradivus ferratam torserit hastam  
43 impleritque nemus :  
44 dat sonitum tellus, et magnis fluctibus aer  
45 exundans quatitur.  
46 Subsidunt silva et strident, plorantque coloni  
47 arboream stragem.  
48 Ingeminant summi montes vallesque fragorem,  
49 Ossaque cum Pindo  
50 mugit : et ut talem jaculetur rarius hastam,  
51 Panque Palesque rogant.

ALEM.

52 Si riguit agmen hostis, et densum stetit,  
53 tantone potuit impetu perrumpere ?

CHO.

54 Qualiter bruma temulentus Ister,  
55 montium postquam bibit explicato  
56 alveo lapsus, niviumque turmas :  
57 et putris tandem satur est pruina.  
58 Turgidus vadit petulante fluctu,  
59 et super ripas, super arva et urbes  
60 stagnat : inde ingens ruit, et ruendo  
61 crescit, erectos superatque pontes :  
62 vel cohaerentes lacerat. Quid ille  
63 curat has nugas puerulis artis,  
64 pessulum, aut postes, obicesque (silus  
65 integrae truncos) rapit ille cursu,  
66 quidquid occurrit, trabibusque fractis  
67 Nereum pulsat. Spoliisque Thetyn  
68 donat, et natas fluviis Sorores.  
69 Sic enim, sic ad mare tendit Ister,  
70 et Patris fratrumque animosus intrat  
71 vitrea tecta.  
72 Talis erat.

ALEM.

73 Nulline fugiens tergus hosti praubit ?

CHO

74 Qualis in ponto scopulus Malea  
75 audet armatas Jovis igne nubes  
76 spernere, et spumas maris aestuosi.  
77 Si tonat, ferroque pluit caduco ;  
78 perstat immotum caput inter astra,  
79 nec timet fulmen, rapidosque nimbos.  
80 Si tument undae domitore motae :  
81 frangit illisae rabiem procellae, et  
82 cedere nescit.  
83 Talis erat.

ALEM.

84 Celerine cursu potuit hostes assequi ?

CHO.

85 Ut fulminis ala  
86 per nubila fertur :  
87 ut Parthica canna  
88 post terga relictas :  
89 ut funda per auras

90                   Balearis ahenum  
 91                   et marmora torquet.  
 92                   Talis erat.  
                   ALEM.  
 93           Numerosa quid si dente Dircaeo satae  
 94           acies levarit capita, nolens cedere ?  
 95           Non timuit iras et furorem militum ?  
                   CHO.  
 96           Qualiter Aquilo Sarmata tubicen  
 97           implens aere gelido buccas,  
 98           equidem semper fera bella moves  
 99           Orithya scit esse potentem)  
 100          ile nivosi montis decutit  
 101          calva cacumina, nemorumque moras,  
 102          Dryadum pulchros sternit amores.  
 103          Sed si in patuli vacuique ruat  
 104          aequora campi : perit ille furor,  
 105          et tuba clangit brevioris sono.  
 106          Quia non adsunt, quos petat hostes.  
 107          At si densis platanus brachiis  
 108          albaeque populus, altaeque fraxinus,  
 109          et Chaoniam bellica roboret  
 110          Dodona manum ; juxtaeque freta  
 111          multis navibus onerata fluant ;  
 112          Campum habet Aquilo : tunc valide incubas  
 113          viribus aeris, atque sonoro  
 114          flamine turbo belliger intonat.  
 115          Clamant flumina, nubila, nemora,  
 116          mersasque rates versasque domos  
 117          misero gemitu queruli plorant  
 118          mercatores, nautae, agricolae.  
 119          Talis erat.  
                   ALEM.  
 120          Pugna peracta, qualis in pacem fuit ?  
                   CHOR.  
 121          Qualis Marmaricus Leo  
 122          Heros a proavis suis,  
 123          et multis spoliis tumens :  
 124          sed jam luxurie satur,  
 125          ac tot mortibus ebrius,  
 126          dentes lassus, et impigros  
 127          Annos plurimus, in specu  
 128          consumit reliquos dies :  
 129          hic grandes oculos rotat  
 130          in sese, et fruitur suo  
 131          aevo : jam catuli vicem  
 132          fessi patris eunt, et in  
 133          sparsas se penetrans casas,  
 134          Maurorumque mapalia.  
 135          Sic gaudent fieri viri.  
 136          Rex vero senior domi,  
 137          exspectans genitos, jacet.  
 138          Sed quamvis jaceat ; tamen  
 139          terrori ac reverentiae est.  
 140          Visu hic exanimet viros :  
 141          ne dum, si nitida face.  
 142          Aut ferri rigido gelu  
 143          commetus, senii pigrum

144 pondus proiciat, levi  
 145 diffusus Zephyro jubas :  
 146 unguisque horridus asperos  
 147 formidabile rugiat.  
 148 Talis erat.  
 ALEM.  
 149 Ah ! cecidit idem : qualis hic casus fuit ?  
 CHO.  
 150 Qualis in silva bene celsa quercus,  
 151 cujus aetatem memorare Faunis  
 152 unicis notum est, nimis gravata  
 153 molibus belli, exuviasque ramis  
 154 pendulas gestans satis obsoletis  
 155 hanc colunt omnes Dryades, dieque  
 156 cingit astivo chorus orgiorum.  
 157 Creditur Numen : nec in ejus umbra  
 158 audeat vanum latitare vulgus.  
 159 Solvitur tandem laqueata radix,  
 160 et sacrum terrae propius remittit  
 161 pondus, inclinatque caput superbum.  
 162 Esto, jam nullam, velut ante, denso  
 163 frondium, amplexu locuples et umbram,  
 164 nec solum lapsis foliis coronet.  
 165 Ipse, qui truncus jacet, est honori.  
 166 Et suam famam moriens meretur,  
 167 tale post fatum senio soluta  
 168 nobilis arbor.  
 169 Haud aliter.  
 ALEM.  
 170 Ubi bellicosam efflavit animam Tillius,  
 171 magis timori, vel magis amori fuit ?  
 CHO.  
 172 Sicut Leonem, quando in antro Caspie  
 173 porrexit hasta, digna bibere sanguinem  
 174 regalis irae, qua tumebat bellua,  
 175 Garamante Patre (et hic ab antiquissima  
 176 si fors Leonis venerit prosapia)  
 177 satum : illum adhuc calente vivum Spiritu  
 178 nemo ausus est adire, nemo tangere,  
 179 frontemque latam, oculosque torvo sidere  
 180 effulgurantes, osseamque dentium  
 181 concutere sepem : nemo barbam vellere.  
 182 Occubuit. Ergo jam licet : concurritur.  
 183 Numidaeque, Getulique, et omnis Africa  
 184 est curiosa in innocenti funere.  
 185 Hic frontis admiratur, et trepidans manu  
 186 ostendit ingens spatium ; hic aureas jubas,  
 187 ille explicatum corpus : omnes regium  
 188 animal coronant, et pavere gestiunt.  
 189 Tilli ! Leoni compar amus te tibi.  
 190 Ensem tuum vix vidimus, qui mortui  
 191 lestum super pependerit ; jam Martio  
 192 horrore plenos, et sacra formidine,  
 193 mulcebat oculos ille ferreus nitor.

## EXPOSTULAT MARS CORAM JOVE : QUOD SE QUIDEM PRAEFECERIT BELLIS

T16 v.1 Sed jam tu (neque enim credam) promittere cessa,  
 2 Juppiter o ! Meminisse potes, quod, quando Gradivo  
 3 clangentesque tubas, mortesque et bella dedisti,  
 4 dixeris : "I Mavors, nostrisque favoribus usus  
 5 armorum tibi jura tene. Regat ille disertum  
 6 florentemque chorum, Musis addictus et hortis :  
 7 ille refrenet aquas : hic gymnada Castoris intret :  
 8 alter agat cervos ; pacem sibi vendicet alter."  
 9 "Tu Mars bella rege, et fatis adverte secundis  
 10 implacidos vultus ; ut casus ferre sinistros  
 11 assuescant homines ; et ne corruptior Orbis  
 12 per Cyprios aestus, Thyrsoque subactus in umbram  
 13 diffluat ; atque adeo segni formidine marcens  
 14 totus mollescat paulatim, ut femina, Mundus.  
 15 Nec diffide : viros dabimus tibi, semideosque,  
 16 Heroasque, ducesque ex sanguine Semideorum."  
 17 Dixit, et ad sacram contorsit lumina tumbam.  
 18 "Non nego ; promissos in nostris vidimus armis  
 19 stare aliquos : sed quam paucos, quam tempore nullo :  
 20 quam cito sunt iterum revocati ad sidera, et unde  
 21 venerunt, rediere statim, plerumque cruentis  
 22 exagitati odiis, fortunae et iniqua ferentes  
 23 praemia bellorum, memori vix funere noti.  
 24 Non numero : neque enim fastis assuevimus istis,  
 25 otia, facundisque dies comburere nugis.  
 26 Vera tamen memoro, dixisti aliquando : quid aegre  
 27 angeris, accusasque tuae dispendia sortis ?  
 28 Cerne aciem Cadmi : vel ab uno dentis adunci  
 29 semine, quam densus miles nascatur in herba  
 30 bellipotente tibi, virides in corpore sulci  
 31 germen agunt, atque erectas seges ingerit hastas.  
 32 Vidi equidem, et placuere mihi, mox saeva colonum  
 33 spica retro volvet ; Dyrcaeaque messis in arma  
 34 mutua porrigitur, strages sine falce fit, et se  
 35 ipsum, quod natum est, metit : occiduntur aristae  
 36 armisonae, funusque crepant : perque horrida fratres  
 37 vulnera Cadmaei, te fors ridente duellum,  
 38 exspirant : ita nos, ita nos armamur in arma  
 39 sic sumus instructi : (visusque hic pluribus ipsum  
 40 contempsisse Jovem) talis me exercitus ambit,  
 41 post iterum dicis, quid Cadmi jugera curas  
 42 seminibus funesta suis ? Cunabula quercus  
 43 militiae generosa dabit : trudetur ab orno  
 44 Bellatrix soboles, ut sint durata labore  
 45 corpora, nec vultus retrahant aut solis ab aestu,  
 46 aut hiemis glacie : pueros juvenesque frementes  
 47 non cum vagitu tenero Lucina levabit ;  
 48 sed Dodona potens ex nostro munere, rupto  
 49 fagus hians utero, scissoque ex cortice natos  
 50 effundet, mox arma manu, mox cornua cristae  
 51 quaerentes ; totisque palam resonabit in agris  
 52 grande puerperium silvarum, atque horridus infans.  
 53 Et vix audebunt venti nemus hoc afflare.  
 54 Tunc tibi delectus moveat fastidia forsan.  
 55 Vah ! Mihi quae delectus adhuc fastidia movit.  
 56 Iste modus generandi acies quot, quaeso, per annos

57 duravit ? Tribus exactis sine pignoris usu,  
 58 coeperunt passim totae sterilescere silvae.  
 59 Atque haec damna quidem, te concedente, vel ipsi  
 60 debuimus pensare, patris cum nomina sumpsi,  
 61 et mea progenies aspexit Romulus auras.  
 62 Tunc plures mea bella duces coluere, segesque  
 63 amplior enata est, validisque instructor armis.  
 64 Scipiadae, Pyrrhi, Serranus, Galba, Camillus,  
 65 Mutius, Aemilius, Cocles, gens Claudia, Brutus,  
 66 Marcellique truces, formidandique Metelli,  
 67 Fabricii, Curii, Fabiique, et Horatius unus  
 68 ac triplex, Deciique patres, tua numina, Roma.  
 69 Quin et sexus iners alias, ac mollior annis  
 70 coepit Amazoniis Latium defendere peltis.  
 71 Ulta pudicitiam pectus Lucretia casto  
 72 sanguine conspersit moriens ; meliorque Sabinis  
 73 Cloelia, per medium Tiberim captiva natavit.  
 74 Verum etiam sensim (quid enim non segnior aetas  
 75 imminuit ? ) Sacer ex oculis evanuit ardor,  
 76 Spiritus ille ferox bellorum, et nostra voluptas.  
 77 Caesar erat. Pompeius erat, non sprevero novi,  
 78 novi illos : utriusque mihi bene cognita laus est.  
 79 Et virtus, vitiumque simul, maculataque tabo  
 80 ambitio, et mediam tumulans Pharsalia Romam.  
 81 Adfueram stragi, licet invitatusque, volensque  
 82 sanguineum probibere nefas. Sed Roma sub hasta  
 83 tunc stetit, et totum venalis facta per orbem,  
 84 cui Domino pareret, erat. Quae monstra secuta  
 85 Caesaris Augusti manes ? Foedissima rerum  
 86 luxuries scelerum cumulo perfuderat urnas,  
 87 et sicum cinerem infecit truculenta libido.  
 88 Nerva potens, melior Trajanus : at omnibus istis  
 89 fortior incubuit mihi Constantinus, eburno  
 90 ut solio dignus, sic longe dignior astris.  
 91 E ducibus tamen egregiis, quos saecula nobis  
 92 ostendere, novum, quotus est, qui ostendere vulnus  
 93 audeat, atque emptas magno jactare triumphos  
 94 me coram ! Facile est, si Mars non audiat, ense et  
 95 tela coruscare, et spumantem ducere rictum  
 96 in proprias laudes ; ceu mille cadavera flatu  
 97 uno difflasset. Facile est, hoc dicere, vici.  
 98 Sed pugnas, pedem numquam vertisse, decorum est,  
 99 Hoc decet aetheros animos. Belisarius audax,  
 100 immodicus sceptri Stilico regalis, uterque  
 101 foedarunt vitiis palmas, trabeasque cruore  
 102 innocuo : Marii sica Syllaeque parati,  
 103 oppressae morbis venas incidere Romae,  
 104 et magnum Patriae jugulum. (Facundia Marti,  
 105 Unde haec. Et sapiens magnis de rebus acumen ?  
 106 Quin potius laudem Bragadinum, et Echinadas inter  
 107 venerium Venetum ? Maris, undarumque potentem  
 108 Austriacum Quinti ? Quoque est innixa Columna  
 109 in bellis Europa suis ? Hos aestimo : verum  
 110 quot sunt ? Quam rari nantes ? Hoc forsitan aevo  
 111 plures invenias. In spes, et facta, minasque  
 112 excrevit justas Tampier, metuendus et Austro,  
 113 et Borcae, nostris non indignissimus armis.  
 114 Ille manu pollens, nobisque inflatus anhelis,



115 obvia fulmineo prostraverat agmina cursu.  
116 Heu ! miser Hungaricis tandem truncatur in agris.  
117 (Ad capulum rediere manus, vaginaque fulgur  
118 sponte sua atrocis gladii promovit in auras  
119 dimidium, visusque aliquem voluisse ferire)  
120 major, et ingenio melior Bucquoyus, in ira  
121 consilii tenuit placidum moderamen, et usum  
122 cautior : ac poterat clari sublime mereri  
123 nominis auspiciam : si non concisus ab hoste,  
124 serius aeternos se conjecisset in orbis,  
125 magnarum sedes animarum. Cetera belli  
126 fulmina (nam nosco) summis quae ex nubibus orbi  
127 demissa, atque aquilas sunt defensura : coruscent,  
128 et vivant, utinamque diu ! Canet illa sacratis  
129 posteritas venerata locis : nam quae altera flagrant  
130 fulmina in Oetaeo quercus sternentia luco,  
131 nemo colit : nisi quando coquunt inventa novercae.  
132 Num tamen ex istis quisquam mihi Tillius alter ?  
133 (Dixit et ad sacram contorsit lumina tumbam)  
134 qui per lustra decem tantis exercita bellis,  
135 in campo plastrum licet obvertente Boote,  
136 quinquaginta hiemes alsit, totidemque sitivit  
137 aestates, quando calidum latraverat astrum ?  
138 Impatiens non magna pati, virtutibus altam  
139 infodit mentem, terras sulcare nivasas,  
140 scindere torrentes, incumbentemque planetam  
141 ferre die medio, vel sicci sideris Arcton,  
142 ludus erant. Quoties sum contemplatus ab alte,  
143 et dixi, aequalem sibi non habet iste : triumphet !  
144 Usque adeo ! Ut taceam castae miracula vitae,  
145 ipse quibus careo. Sunt haec nimis ardua nobis,  
146 nec nova tam ducibus, quam prodigiosa videntur :  
147 ex quo me lepido constrinxit Lemnius auro.  
148 Tillius excessit veterum laudata tubarum  
149 facta, secuturis fors non imitabilis annis :  
150 Tillius immensum bellique volubile pondus  
151 sustinuit portante manu : neque mitia jura  
152 saevior evertit, neque nulla coercuit arma  
153 civibus imposuit leges, et legibus enses  
154 subdidit, ut famulos, ferroque inflexit olivam.  
155 (Sic ait et lacrimis rigat exsultantibus ora :  
156 quippe furor primus per verba atrociora dudum  
157 desiit egestus, juvat indulgere cadenti  
158 per factem nimbo : necscit, cur gaudeat ista  
159 tempestate frui : juvat illum ignota voluptas  
160 flendi : nam numquam dum Mars est, fleverat ante.  
161 Vix haec : cum rursus rapiente animosus in astu : )  
162 Hic tamen ausa lues, quisquis : nisi  
163 numquam equidem gelidas terras, glaciataque crustis  
164 marmora, perque nives Hunnum aspernabar euntem !  
165 Et mihi dilecta est Rhodope ; quia frigida : et horrens  
166 Caucasus, et summi, nimborum cubilia, montes :  
167 sed quia peccasti temeraria ; crimine paenam  
168 insueto dignam meruisti : noveris ergo,  
169 quod sis infelix, invisaeque Suecia Marti.  
170 (Hastam crispavit, signum indubitabile mentis  
171 firmatae, ac certae nota conceptissima poenae)  
172 Tu vero, Lyce, lympha tepens, non masculus amnis

173 nec fluviis Ponti de nobilioribus unus :  
 174 propter cujus aquas et littora maximus Heros  
 175 procubuit, jam nunc a me donabere fama  
 176 majori, tituloque novo, licet Albis, et Ister,  
 177 et Rhenus, similesque Dii spumosi intrent  
 178 Oceanum, certentque ingenti cornua gyro  
 179 circumferre alacres, Neptunoque addere nomen :  
 180 ac bellatrices mihi non semel ante carinas  
 181 obtulerint, glaucos equites, et caerulea terga :  
 182 tu tantum molli jaceas declivis in ulva,  
 183 imbellique choro strepitum moduleris aquarum,  
 184 colludendo tuis vada per nitidissima bullis :  
 185 aut si qua est Galatea tibi, quae ludere norit,  
 186 colludas : vel plectra movens resonantia cantu,  
 187 allisum carmen vexes in margine ripae.  
 188 Inde per occultos plumbi serpendo meatus  
 189 missilium undarum argentum jaculeris in auras :  
 190 ut sic festivi saliant ad murmura fontes,  
 191 labendoque micent. Nunc ut tibi gloria prosit  
 192 alterius, faciatque Augustam Tillius urbem :  
 193 posthac fluminibus semper celebrabere nostris,  
 194 Styrronaeque ac Hebrum frater securus adibus.  
 195 I modo.

M. TILLII GLADIUM, QUEM MARS DONAVERAT, AUSTRIA IN AMORIBUS HABET.

T17 v.1 Ensis chare mihi, nullum frustrate lacertum,  
 2 praesidium belli, delictumque meum.  
 3 Non equidem a veteri Domino stringeris in hostem,  
 4 promissique bibens morte frui viri :  
 5 non in vaginam te sparsum sanguine condet  
 6 Belgica, quae quondam, nobilis illa manus.  
 7 Ac fors jam sentis, quod solum femina gestet.  
 8 O ! utinam, quae sim, quantaque Diva, scias !  
 9 Ne pudeat : non sum communi e plebe Dearum :  
 10 femina sum ; mens est corque virile mihi.  
 11 Per me, quod numquam forsitan rebare futurum.  
 12 In magni poteris Caesaris ire manus.  
 13 Cuncta tibi cedunt multis e milibus arma,  
 14 in quibus insignes emicuere duces.  
 15 Actoris Aurunci spoliis, ingens lancea Turni :  
 16 et patris Aeneae, fulmineique Phrygis.  
 17 Nec tua se poterunt conferre ancilia, Romae  
 18 Conditor, e caelo sint ea lapsa licet,  
 19 nec tuus Aeacida clipeus : quamquam ejus honori  
 20 fixit adorandum Graecia tota jubar.  
 21 Ipse negat Mavors, ferri tam nobilis usu,  
 22 terra ferox, natos se domuisse tuos.  
 23 Ensis chare mihi, nullum frustrate lacertum  
 24 praesidium belli, delictumque meum.

T18 v.1 Tempus erat, quo se spicis flaventibus aestas  
 2 induit, et campos maturis frugibus ornat,  
 3 me quoque : Danorum domita regaliter ira,

4 cum super umbrosa sedisset Tillius alno :  
5 justa ingens thorax, et sacri ponderis ensis ;  
6 arridens dixi : "Nunc Tilly animose quiesce :  
7 pugnatum satis est : agitant sua ventus et arcus  
8 otia : tot curis pectus mortale fatiscit."  
9 Ille minus blando vultu me aspexit, et : "An me,  
10 Diva, putas fractum bello, fessumque labore,  
11 quod victas aliquot gentes in foedera Martis  
12 compulerim ? (fateor torvo me terruit ore,  
13 et placuit tamen, et gaudebam jurgia ferre)  
14 non tam molle meos armorum exercuit annos  
15 auspiciam, ut validas vires, et ab indole nostra  
16 majores dubitem reliquis offerre triumphis.  
17 Si juvenem exorsus, virtuti immania feci  
18 vota, nec in segni recubans (scis Callia) sponda.  
19 Fortis anhelavi magnas protrudere curas  
20 ingenii, belloque manus implere capaces :  
21 quae restant patranda viro ? Primordia rerum  
22 me revoluta docent, urgentque sequentia facta.  
23 Atque ut certa scias belli documenta, tuisque  
24 commendes ducibus, non haec memorare gravabor.  
25 Prima ducis virtus Pietas, et Numinis esto  
26 cultus adorandi : neque enim Victoria caelo  
27 descendet palmamque feret ; nisi rite vocata  
28 armatis precibus, nostrum mittatur in orbem.  
29 Si jurem, si devoveam : me fugerit illa  
30 ocius, ut levis est, et motis avolat alis.  
31 Miror ego : si quae venturi praescia nubes  
32 tentetur, dicantque duces ; praesagia ventus  
33 spirat, et asportant opulentum flumina bellum :  
34 cras me fulgenti feriet victoria penna :  
35 aera per, volucrum gens rostro corrui unco :  
36 vidimus imbutas plumis stillantibus auras  
37 confluere, et caelo bis septem plaudere cygnos.  
38 Sanguineo vapor igne tremens concussit Olympum :  
39 tres orti soles : turbavit Cynthia vultum :  
40 fulserunt rubrae summis de montibus hastae.  
41 Qui pius est. Numenque colit, nihil omnia curat :  
42 ipse sibi augur erit, discetque interprete vita  
43 certius, an faustis sit bellaturus in armis.  
44 Altera militiae rectoris cura sit, insons  
45 splendor, et integritas castae clarissima vitae.  
46 Quidquid agas, licet adfinem perduxeris ingens  
47 et summae virtutis opus, victorque voceris :  
48 si tamen illicitae Veneri si cesseris igni ;  
49 victus es, evertitque decus damnosa libido.  
50 Adde, quod efficiat timidum, exarmetque voluptas :  
51 dum semper metuit, ne noxia gaudia perdat,  
52 quae tam posse Deum novit, quam perdere velle.  
53 Denique debilitat vires, animumque potentem  
54 enervat digna magnis heroibus ira :  
55 inque vicem, molles sensus tenebrasque relinquit  
56 illecebris foedas, vel, cum tuba nuntiat hostem,  
57 stertit, et astrictos capulis effeminat enses.  
58 Sint Phrygii sane tales : tamen altera Belgam,  
59 altera Germanum vivendi norma decebit.  
60 Verum ut flagitii stimulos flammamque retundas,  
61 Magna mente opus est : quae non circumdata luxu

62 aestuat in praedis, vel in otia mergitur ima.  
63 Ille Deo similis, quem belli roborat usus,  
64 cura laborque juvat, morborum taedia mulcent :  
65 sub dio perferre nives, ex casside putrem,  
66 quando opus est, potare lacum, tolerare calentis  
67 solstitium caeli, rigidas admittere noctes  
68 flante noto, clipeis gelidam abstergere pruina !  
69 Hoc decus, hic honor est, tunc mens erectior inter  
70 adversos casus, velut intractabile marmor,  
71 stat, nec luxuriae spumoso tunditur aestu.  
72 Dura silex virtute riget : sed saepe caducis  
73 in venam mollescit aquis, minuitque rigorem  
74 gutta cavans : ita cui pectus contra omnia fata,  
75 adversus vitium quodcumque adamantina frons est :  
76 cedet, ubi nimius pateris vergentibus humor  
77 illapsus, vino saturos molliverit artus.  
78 Is, cui casta placent, studeat frugalibus uti  
79 ad mensas epulis, non fastidita vocare  
80 pocula, non vino temulantas urere noctes.  
81 Mars certat campo, Bacchus flaccescit in uva  
82 desidis autumnis : nihil hic, si milite fama  
83 certamus praeter Gangem subjecit et Indos,  
84 infamem populum, thyrsos pugnantes subactum.  
85 Afra sitis, Rhodopaea fames, Alemannica bella,  
86 sunt magni fomenta ducis, vereque virilis  
87 gloria : luxus iners, tardeque assurgit honori.  
88 Ut taceam, quae damna creant : dum saepe per herbas  
89 distentis, castrisque mero marcentibus hostis  
90 improvisus adest, inopinataque funera stipat.  
91 Heu ! Quoties fixit temulentos lancea somnos !  
92 Jam si libertas animi, fructusque triumphus  
93 quaeritur : affectus prius, intestinataque bella  
94 dux subigat, motusque truces avidosque nocendi.  
95 Qui sibi non servit, meliori jure verendas  
96 dat populo leges, dignus, cui pareat alter :  
97 imperet, imperiumque a se moderatius orsus,  
98 praeludat belli fastis. Nam si qua coorta est  
99 seditio, jamque arma fremunt : tunc ille tumultum  
100 pacabit citius ; qui se pacaverit ante.  
101 Subjectos amet, et studeat non emptor amari,  
102 sed gratis. Plausus, qui conciliatur ab auro,  
103 cum vano fulgore perit ; favor optimus, aequa  
104 conditio, faciet mentem tibi militis aequam  
105 castra ducem cingant, et festo murmure laudent  
106 munificum, justumque simul fateantur, ut ornet  
107 altera laus primam ; sine qua neque prima decora est.  
108 Cum Pater appellor, meque omni voce reclusa  
109 cassis, et excelsi pendens de vertice coni  
110 per medias acies equitantes crista salutat :  
111 nomine delector, studeoque implere, Patremque  
112 vultu, oculis, manibusque fero. Sic laetor amari.  
113 Hostem non timeat, verum timeatur ab hoste :  
114 si campus, fortuna, dies, momentaque rerum  
115 non alias artes, et callidiora requirant,  
116 pro certis inventa locis. Semel esse fugatum  
117 et retro cecidisse nocet, nisi feceris astu.  
118 Erigitur magis, et solito jactantior hostis  
119 dat strages, augetque metus, et euntibus instat.

120 Nec tamen audaces laudo, quibus omne futurum  
 121 in tuto est, nimiaque tument praecordia flamma.  
 122 Namque hi caligant successibus, et vada caeci  
 123 tentant, vel glaciem : qua subsidente ruinam  
 124 inveniunt, seroque gemunt : temeraria virtus  
 125 amittit nomen, raroque in proelia felix  
 126 durat, et amisso stimulo mox languida torpet.  
 127 Qualiter, et fors tractanda est cautius ira.  
 128 Ne nimia cum bile fluat, directaque turbet  
 129 consilia. Et miseris captivum luctibus urat.  
 130 Qui furit, hoc ipso nequit argumenta mereri  
 131 laudis : at ira decens, compos rationis, habenas  
 132 auditura, potest aliquid sublime tueri.  
 133 Ista super fluctus natat, aequoreasque procellas :  
 134 quamquam aestum retinens maris, his, quibus insidet, hostem  
 135 fluctibus adversum, et toto superobruit aestu.  
 136 Dum bellum fervet, caveat, ne incautus aberret  
 137 in spolia et praedas. Quoties Victoria lapsa  
 138 e manibus, numquam voluit dimissa reverti ?  
 139 Divitias primum post pugnam dividat ensis :  
 140 parcat iis, qui vel teneris lactantur in annis,  
 141 vel sexu imbelles, vel proni supplice vultu,  
 142 numquam usi ferro, veniam sine voce precantur,  
 143 quin debellatis multumque nocentibus, istud  
 144 ignovisse pius est, et saepius utile victo  
 145 victorique simul. Si captam intraveris urbem  
 146 spondentem faciles aditus, a fraude tuere  
 147 Martis, ab insidiis. Quod si mandata recuset,  
 148 si promissa neget, si frangat foedera : vindex  
 149 aggredere, et terre : vi capta urbs, militis esto.  
 150 Quantum flamma tamen, violentaque debeat ira  
 151 grassari : quando sit suffocanda favilla,  
 152 arbitrio metire tuo. Prudentia formet  
 153 iudicium : strictos clementia dirigat enses.  
 154 Haec mihi tunc praecepta dedit super arbore noster  
 155 Tillius, o ! noster, jam tantum in parte relicta !  
 156 Dixit, et ad sacram contorsit lumina tumbam.

ROMA INDICAT QUOMODO CREVERIT.

T19 v.1 Credite posteritas : non semper maxima Roma,  
 2 et caput orbis erat : quondam dum parva jacebam  
 3 in cunis, et adhuc lactens, alimenta benignae  
 4 cruda papilla lupae dedit : hinc reor illa deinde  
 5 invasit me dira fames, ut tota vorarem  
 6 regna, nec antiquae congestis pultibus Albae  
 7 sustentare gulam possem, contenta Sabinis  
 8 finibus, et Latii spica. Crescentibus annis  
 9 tam pretiosa etiam rabies succrevit edendi.  
 10 Non potui satiari epulis, nisi mensa secunda  
 11 imperii pomum nobis ad prandia ferret.  
 12 Nunc alii cenant illud : vos discite plura.  
 13 Parvula, (pene pudet, nostros evolvere mores)  
 14 cum mea me nutrix duris gestabat in ulnis ;  
 15 (Acca vocabatur) nihil, aut non plurima sciivi  
 16 de Mundo. In parvum quandoque ferebar agellum.

17 En tuus hic Roma est, nutrix dicebat, agellus :  
 18 Hic tuus est. Quid enim ploras ? Virguncula quid stes ?  
 19 Tunc mihi cantabat Phrygiis erroribus actum  
 20 Aeneam, aut dulci praeventam morte Creusam :  
 21 atque mihi similem, nisi quod puer esset, Iulum.  
 22 O quoties cecinit ! Si scires Roma, quid esses,  
 23 gauderes. Martis generoso ex sanguine nata,  
 24 stripe Jovem contingis avum. Sic blanda tenellam  
 25 solata est : nostros sic demulcebat amores.  
 26 Dein tacui : aut carpsi duo vel tria grana soporis.  
 27 Ire volens, quoties cecidi ? Nutrice monente,  
 28 objurgante etiam, quando me gramina vidit  
 29 audaci calcare gradu. Jam repere quibam,  
 30 non poteram fari tamen : et quae verba loquebar,  
 31 balba, suere sono medio truncata : nec ipsa  
 32 saepe, quid his peterem, nutrix agnoverat Acca.  
 33 Sed mirum est. Jam tum voce affectare videbar  
 34 sceptro aliquid simile, aut quod colluceret in ostro.  
 35 O error ! cum quid nitidum, sceptrumque poposci,  
 36 non intellectae monstraverat Acca ligonem.  
 37 Lustrum degebam. Neque dum, quid bella, quid arma,  
 38 quid catapultae foret, quid talia nomina, noram.  
 39 Mitis et absque dolo, sine vi, sine viribus, insons,  
 40 virgo viros fugi : potuique hoc parva puella.  
 41 Verum omnes quoscumque patres, matresque videbam,  
 42 Accas innocuo semper de more vocabam.  
 43 (Mirum est ; hic nullam prorsus risisse Dearum)  
 44 ah ! nondum ullius simplex spectacula Circi  
 45 audebam, aut Magno Pompeio aequale theatrum.  
 46 Nondum ullus Caesar, Marius vel Sylla forenses  
 47 vendebat lites : nondum sua rostra disertus  
 48 Tullius in media resonans erexerat Urbe.  
 49 Nondum ullae thermae. Trajani ubi visitur arcus,  
 50 spica brevis steterat, spoliolum non nobile falcis.  
 51 Verrucae fuerant septem, quas cernitis arces.  
 52 Arduus hic collis, qui nunc ingentia portat  
 53 templa, nihil fingo, securae credite, gibbo  
 54 pumilionis er at similis. (Risere ; sed alto  
 55 pensarunt gemitu.) Tiberim non pyxide magna  
 56 clausissem, aut vitro : pretiosos cujus ab ore  
 57 sorbebam bombos, manantes lacte caprino.  
 58 Paulatim crevi fraterno sanguine pasta,  
 59 pincerna tradente Remo. Tellure levavi  
 60 corpus, et erexi reptantia celsius ossa ;  
 61 ac pedibus solidata steti : mox verba loquebar  
 62 clara et amoena, croco, suavique fluentia melle.  
 63 Non dixi : "tetuli vascos" ; et, "an haspicias, Acca ?  
 64 indugredi quieo" ; sed docto comptius ore  
 65 dicebam : "Nutrix viden Acca ? incedere possum."  
 66 quod comedam, mecum ipsa tuli, dein ludere parva  
 67 incepti gavisa, pila, (quae excrevit in orbem)  
 68 ut pueri pueraeque solent. Haurire cruorem  
 69 belli guttatim tantum, modicisque labellis :  
 70 si deprensa forem, totum cratera bibisse  
 71 sanguinis, erubui. Porro quae nostra cupido est,  
 72 institui varias nugas : ab origine fossas  
 73 ducere, vel potius speciem simulacraque prima  
 74 fossarum : portas, Capitolia, moenia, vallum.

75 Omnia parva tamen : neque enim, quae duxerat, ipsae  
 76 maegna fuit. Sensim florenti corpore major,  
 77 contempsi bullas, et nescio quas minimas res :  
 78 pastorumque nuces (scis faustula fida) reliqui.  
 79 Inde togam sumpsit, praetextatamque juventam  
 80 abjecit, copique loco mihi consulis esse,  
 81 regibus ejectis. Tunc mortua jam fuit Acca :  
 82 sola relinquebar. Mea tela, haud tela vocavi,  
 83 sed pila. At nondum tam saeva ac horrida pila,  
 84 qualia constratis vidit Pharsalia campis.  
 85 Tandem etiam irasci, galeis galeata minari,  
 86 obliquare oculos didici. Fastigia, turre  
 87 primas extruxi. Septem mox collibus ingens,  
 88 tamquam crinali muro redimita Cybelle  
 89 visa, repercussi campos, orbemque replevi  
 90 majestate mea. Samnites, Celta, Falisci,  
 91 Vei, Lucani, Senones, Trebia, Allia, Cannae,  
 92 Punica bella, meis licet obluctata triumphis,  
 93 debebant servire, jugoque cadaver et iras  
 94 subdere : tunc Martis sensi genitoris avique  
 95 auxilium, qui me ditone aquilisque secundis,  
 96 terrarum Dominam, et multis donavit opimis.  
 97 Felix, qui tali decoratam munere Divum  
 98 defensor nullo patitur succumbere bello !  
 99 Non tu pro minima certasti, maxime Tilli,  
 100 communique Dea ; cujus licet alma potestas,  
 101 Imperiumque verendum et formidabile pondus.  
 102 Sic moderante Deo, Germana in pectora totum  
 103 sederit, Austriacas mentes, et Numina quadam  
 104 terrarum : non idcirco mea nomina muto.  
 105 Romanum Imperium servasti maxime Tilli,  
 106 me quoque.

CHORUS IV. EXTRA M. TILLIUM PAUCOS NOSSE GENIUM VERAE VIRTUTIS AC GLORIAE...

T20 v.1 Quam caeca gens mortalium est ! Veros nequit  
 2 adipisci honores, et opulenta praemia.  
 3 Non in liquidi vulnere palmitis  
 4 natat excelsi Gloria genii.  
 5 Non incubat rosetis :  
 6 non prandet in viretis.  
 7 Non nitet vultu, neque delicatos  
 8 ventilat crines, madides amomo.  
 9 Non vano diademate  
 10 pressat verticis aream.  
 11 Non inter molles cantat amica choros :  
 12 non, inquam, visa est esse puella levis.  
 13 Nec opaca latet umbra platanorum,  
 14 nec anhelii Phaetontis fugit astrum.  
 15 Non in Sidonio recumbit ostro,  
 16 nec dormit Tyrio jacens grabato :  
 17 non levibus ludit citharis, auroque bicorni :  
 18 nec digitis infringit ebur chordasque sonantes.  
 19 Nulla fila, nulla pensa,  
 20 laneosve ducit orbes.  
 21 Non feminarum gaudio

22 obliviosa diffluit.  
 23 Sed cum virili robore  
 24 perfert dolorem vulneris.  
 25 Sed cruenta stringit arma,  
 26 ferreosque gestat orbes :  
 27 sed pilis ludit, tormentorumque curuli  
 28 fulmine, et ex alio fundit sua cantica cornu.  
 29 Sed duro jacet explicata saxo,  
 30 cum vult Herculeum videre somnum.  
 31 Sed in aestu vel in agris, glaciata  
 32 Aquilonis super Ursa rotat hastas.  
 33 Sed volat excussis sanguinolenta comis :  
 34 miles io ! miles, torva puella canit.  
 35 Sed celsa galeae juba  
 36 nigram caesariem premit.  
 37 Sed rubet vultu, patulamque frontem  
 38 multo sanguine pingit, et furore.  
 39 Sed prandet alliumque,  
 40 cepasque, olusque crudum.  
 41 Sed in egelido flumine Strymonis  
 42 natat excelsi gloria genii.  
 43 Hunc morem ab ipso Tillio, vel Gloria  
 44 didicisse debet, aut ab ipsa Tillius.

M. TILLIUM...ITA PLERAMQUE PARTEM SPOLIORUM DIVAE VIRGINI MARIAE CONSECRASSE OSTENDITUR.

T21 v.1 Quis vel ab invidia caecus, vel amarus ab ira,  
 2 vel tumido fastu linguaque procacior audet  
 3 dicere, quod magnus pro nummo ditia bella  
 4 gesserit, inque suum lucrum converterit hostes ?  
 5 Testis, magne Deus ! tuque o bellator Orion !  
 6 qui de sideribus Martem comitaris euntem  
 7 nubilus, et longa romphaea perfuris axem ;  
 8 tu quoque testis eris : (namque isti credimus astra  
 9 cuncta favere duci) quod non despecta secutus  
 10 jurgia praedarum, currus onerarit opimis,  
 11 (et poterat) non ille rubrum nitidumque metallum,  
 12 ex belli plaustris Pacis congegit in arcam,  
 13 explorator opum. Postquam molimina rerum  
 14 ingentesque pio tractavit pectore curas,  
 15 fortibus incubuit factis, solique labori  
 16 obvius, Imperium valido moderamine cinxit :  
 17 nil breve, nil parvum meditari visus, et omnes  
 18 collectos in corde duces conatibus aequans  
 19 expressit simul, et simul in certamina misit.  
 20 Illi convasent, illi commercia curent,  
 21 Gloria quos nugis speciosis distinet, et qui  
 22 plus ensis quam cordis habent. Sed vile putavit  
 23 Tillius hoc, quidquid non cum virtute peractum,  
 24 et cum laude foret, quid enim possessa tot annis  
 25 sarcina, dicebat, nostroque indigna labore  
 26 profuerit ? Quando juvenem quaerenda fatigat,  
 27 dedecorat quaesita senem. Ducis impedit ausa,  
 28 militis enervat : gravat hunc, saepe opprimit illum :  
 29 socordes utrosque facit ; trepidoque pavore  
 30 implet, et urgentes stimulos ad bella retundit.



31 Pulvis, amor Patriae, sudor, Victoria, virtus,  
 32 vulnera, divitiis sunt annumeranda. Caducis  
 33 Tetrica mons inhiet : nos immortalia dona  
 34 speramus : promissa placent, quibus annuit aether.  
 35 Cetera vel non magna nimis, vel tempore fluxa,  
 36 vel non certa satis, juvat, et contemnere fas est.  
 37 Si mea bella velim, curasque et robur et iras  
 38 vendere ; novi equidem pretium, non una cicatrix  
 39 (quamquam non una fruimur) vel Gange rubenti,  
 40 totius vel fonte Tagi mutabitur. Aurum  
 41 splendet : at hoc caelum longe magis. Aspice, quali  
 42 castra planetarum Mavors fulgore coronet.  
 43 Utile censetur ; fateor ; tamen utile numquam,  
 44 Cum ratio dictet, praeponi debet honesto.  
 45 Quam timidi vilesque animi, qui semper in Hermo  
 46 flaventique natant Rheno, qua spumeus exit,  
 47 scissa vado ramenta vehens : quibus ista videntur  
 48 maxima, quae tellus imis abstrusa cavernis  
 49 abdidit, et dirum fossori praebuit omne.  
 50 At non et nobis eadem indulgente Deo mens :  
 51 nec vocat obscurae gazam conquirere glebae :  
 52 qua quid opus ? Quae sponsa mea est, non indiget isto  
 53 foederis illicio : nam dotem habet ipsa superbam.  
 54 Illa mea, illa mea est : qua non opulentior ulla ;  
 55 Oetingae colitur, sacra sublimis in aede.  
 56 Et spes est, nos forsitan ab hac (quae gratia blandae  
 57 Virginis, et morum clementia dulcis) amari.  
 58 Huic mea bella licet, curasque et robur et iras  
 59 consecro, et hoc voveo quaecumque in fata lacertos.  
 60 Si jubeat nigros aliquando irrumpere ad Indos ;  
 61 Memnoniam penetrabo domum : si quaerere Nilum ;  
 62 ille licet profugus, patriaeque incertus oberret ;  
 63 vestigabo tamen, fontemque ostendere cogam,  
 64 et numquam visum caput. Imperterritus ibo  
 65 Solis ad occidui thalamos : ubi Nereus imo  
 66 solvit anhelantes gelidi sub gurgite ponti  
 67 cornipedes, atque emergens speculatur Eeos.  
 68 Ista meas acies castrorum Mater obumbrat,  
 69 exarmatque suos hostes. Haec temperat iram,  
 70 et validas facit esse minas. Haec dirigit enses  
 71 consilio stabili, capulumque in vulnera ducit.  
 72 Sive suo armisonis regalia lilia Gallis  
 73 defendi ; sive in Turcas Dacosque rebelles  
 74 movimus, adjuvit praesens : si vera fatemur,  
 75 hujus ab auxilio Pragensis gloria fluxit :  
 76 tuque tui fati lacrimas rabiemque doloris  
 77 tergere coepisti tandem, Regina malorum  
 78 aspera, cognatis foedata Alemannia bustis.  
 79 Haec tua subvertit Badensis plaustra tyranne,  
 80 ferratasque rotas, et formidabile mortis  
 81 inventum. Hujus opem supplex Moguntia sensit ;  
 82 Quando caesorum volvente cadavera Moeno,  
 83 sacrilegi praedonis equos furtasque timere  
 84 desiit. Haec Cimbri cornu fastumque repressit.  
 85 Contudit, ejecit, faucesque elisit hiantes.  
 86 Salve Virgo potens, Oetingae nobilis Hospes !  
 87 Quae super antiqui serpentis lubrica colla  
 88 insistis, triplicisque malum jaculabile linguae

89 sanguineasque jubas, et ahenae pondera squamae  
90 sancta calce premis, furit ille, atrumque venenum  
91 sibilat : et varios frustra torquetur in orbes.  
92 Pulchra quidem, Lunamque super solemque venusta  
93 praeradias : neque enim noster te afflavit Adamus,  
94 aut pomi fatalis odor : sed gratia totam  
95 servavit nitidam, macula sine criminis ulla.  
96 Verum ubi conceptum fudisti Numen in auras,  
97 tunc Dea tunc Virgo, tunc te formosior ipsa.  
98 Tunc simul et Mater, tunc te quoque gratior ipsae,  
99 tunc aliquid, quod si coner, non dicere possim,  
100 tota decora, Sion o Filia, tota decora es.  
101 Regia progenies magni Davidis, in uno  
102 crine tui colli vulnus fixura pudicum,  
103 Mater obumbranti Virgo submitteris Austro :  
104 hic te fecundam divino flamine fecit  
105 absque toro. Magnae Matris tibi noscere nomen  
106 dulce datum ; sed non ideo servare negatum  
107 Virginis : in cumulum pretiosa encomia surgunt :  
108 et tanti fuerat forsitan, sine Virgine Matrem  
109 esse Dei ; sed utroque capis cum nomine fructum  
110 collecti decoris. Venter quem lilia vallant,  
111 et qui portavit Numen, vere ille beatus,  
112 nullos Lucinae meruit tolerare labores.  
113 Tota decora, Sion o Filia, tota decora es !  
114 Hortus conclusus : sed in hoc includitur una  
115 ver Arabum, Cilicumque aestas, rurisque beati  
116 autumnus, sanctique parens vindemia musti.  
117 Regis in accubitu suavem tua nardus odorem  
118 Assyrio prae thure dedit. Tu virgula fumi,  
119 Palma Cades, Cedrus Libani, cyparissus Ephratae,  
120 virga virens Jessaea, et vitae optabile lignum :  
121 gratius umbrosa platano, conspectius alno,  
122 fertilius tilia, longa procerius orno,  
123 tota decora, Sion o Filia, tota decora es !  
124 Nigra quidem, formosa tamen : quia scilicet ussit  
125 deque coloravit te Sol Altissimus : inde  
126 tam fuscus color est, et rarae gratia formae.  
127 Cernite prodigium sacris memorabile fastis :  
128 uritur igne rubus, sed non exuritur igne.  
129 Castas flamma nives ardendo innoxia lambit :  
130 vellus ab Eoo nequicquam rore rigatur,  
131 cetera dum fletu materno gramina manant !  
132 Tota decora, Sion o Filia, tota decora es.  
133 Quam fulges ! (certe fulges) quam magna videris !  
134 (magna videris enim) multa in Galatitide terra  
135 sinceri vultus, multae risere puellae :  
136 nulli te vultus, nullae visere puellae.  
137 Pulchrior Hestera, felicior esse Rebecca  
138 crederis, ac Sara melior, fecundior Anna :  
139 Judithaque, licet forti magnaue Merari,  
140 fortior et major : fuerit licet illa venusta,  
141 tu tamen excellis : tantum semel illa tyrannum  
142 vicit, et infestum caput a cervice revulsit.  
143 Tu strato toties inferno Holoferne triumphas.  
144 Terribilis castrorum actes : hoc nomine Virgo  
145 saepe vocanda mihi, saepe auxiliata : corusca  
146 nunc, o nunc gladios : et viribus instrue dextram

147 te donaturam spoliis : non obruat hostis,  
148 non perimat : dignos potius servetur in usus,  
149 vulneribusque vacet. Certe tu digna labore  
150 defendi nostro ; mea quae praecordia caelo  
151 imples, et vivis recreas afflatibus Orbem.  
152 Terribilis castrorum acies : me plurima voti,  
153 oro, reum damna, dudumque assueta vocari,  
154 annue : sis clipeus noster, sis cassis, et umbo,  
155 ac lorica mihi : neque enim his confidimus armis,  
156 quae timida sunt facta manu, soloque pavore  
157 Ingenium fabricavit, iners ad bella, tubasque,  
158 et veras mortes, et dulcis vulnera famae.  
159 Te propter mea bella calent ; te propter anhelat  
160 spritus in corde hoc : placuisti sola, placebis  
161 Sola, places sola, et non est sponsa altera, non est.  
162 Castra sub auroram cum bellatura movebo :  
163 consurgens Aurora veni. Non illa, cubili  
164 quae maesta egreditur, cognataque funera deflet,  
165 ac matutinis lavat udas roribus herbas.  
166 Tu generosa veni genitrix, et praevia solis :  
167 cujus in augusto respirant sidera vultu,  
168 fessaque mulcentur ; rursumque in gaudia fundunt  
169 laxatum crinale jubar. Tibi splendidus ether  
170 cesserit indutos Salomonis pellibus ignes.  
171 Cum sitio, et rabies pugnae sedata quievit :  
172 tu fons signatus ; tu vitae lucida vena ;  
173 tu puteus viventis aquae ; qua proluo siccum  
174 guttur, et amissas illo bibo flumine vires.  
175 Carmeli florentis apex : quem nulla pruina  
176 tempestasque tegit ; non grandine verberat imber :  
177 ipse Aquilo tumidis buccis pulsare veretur.  
178 Si licet, o Virgo ! maneant immota, precamur  
179 foedera, quae sanxi. Tuus en hic miles ad aram  
180 procumbo, sertumque fero ; quod nobile gemmis  
181 Partheno- fusca -polis, stanti ad sua moenia misit.  
182 Te decet : oblato dignare adstringere crinem :  
183 sitque sacrae flammae pignus. Non nescio, quali  
184 florescas mitra, et longe melioribus astris  
185 ante mices. Vibrat jubar exultante pyropo,  
186 sidereis diadema rosis. Quandoque capillis  
187 das fluere, et nodum demis : tunc nigra refundi  
188 caesaries humeris, et scintillare videtur :  
189 accurrunt Zephyri, stellae sua lumina miscent  
190 ambitione vaga. Facies animosa, dieque  
191 largo plena nitet : blandae reverentia lucis  
192 emicat, et sancti formosum fulgur honoris.  
193 Ut tota in caelo, sic totum in pectore caelum,  
194 nec tantum in manibus, sed in ipso Filius ore est.  
195 Tota decora, Sion o Filia, tota decora es !  
196 Non hoc diffiteor : sed enim, quae ancilla vocari  
197 non dedignata es : sertum, quod Tillius offert  
198 ille tuus servus, (si vis, et sponsus,) amica  
199 suscipe Diva manu, capitique impone corusco.  
200 Si verum est, hac in (nam verum audivimus) aede  
201 semper opem sensisse tuam, quicumque rogavit :  
202 si numquam sine supplicibus, miserisque benigna  
203 hanc habitas aulam : neque discordante repulsa  
204 destruis orantem, et voti non paenitet ullum :

205 si reus ob noxas ; commissaque crimina vitae  
 206 tristior, hic Matrem, libertatemque salutis  
 207 invenit, et dulci mansuescunt pectora luctu :  
 208 esto memor Tilli ducis, ac praesagia firma.  
 209 Et quem defendis vivum, post fata cadaver  
 210 non exclude domo : da, cum nigra venerit hora  
 211 funereis invecta rotis ; ut bella gerenti  
 212 occidat in Bavara tellure suprema mihi lux.  
 213 Nec tempus, nec fata queror. Sat viximus annis,  
 214 sat Marti, campoque datum.  
 215 (Ingemuere omnes : et Boicae Diva profuse  
 216 flevit, et ad sacram contorsit lumina tumbam.)

VOTUM LEGIONIS TILLIANAE, DUM VEXILLA BENEDICERENTUR.

T22 v.1 Vexilla Christi, quae micant ;  
 2 vexilla Matris, quae volant ;  
 3 vexilla Tillii novimus :  
 4 Dux cum sit amborum pius.  
 5 Haec ante vestras ponimus  
 6 aras, ut illis prosperas  
 7 voces velitis dicere ;  
 8 et caelitus defendere.  
 9 Signis sub his bellabimus :  
 10 signis sub his donabimur  
 11 victoriis, Tilly duce.  
 12 Haec vota caelum suscipe.

CONQUERITUR HUNGARIA

T23 v.1 Ergo meas veris ululatibus impulit aures  
 2 Fama volans ? Ergo ille jacet, quo stante tremendi  
 3 imperii moles numquam est mihi visa jacere.  
 4 Atqui ego credideram, non in vitalia plumbi  
 5 missilis errorem rapidum penetrasse ; sed ossa  
 6 (hoc quoque grande nefas) solum temerare profano  
 7 impulsu, haud aliud quidquam de stragibus ausum.  
 8 In pejus decepta fui. Tristissima rumor  
 9 distulit, ut rediens luctu majore noceret.  
 10 Profuerat, citius novisse : haud anxia votis  
 11 Astra fatigassem ; nec maestis turbida curis  
 12 interea miserae vidissem somnia noctis.  
 13 Funere narrato, quod res est, pulla, comasque  
 14 scissa supinatas, conspersaque sanguine fuso,  
 15 more meo solemne sacrum, lacrimasque dedissem.  
 16 Nunc geminata mihi causa est, geminata doloris  
 17 causa mihi, et pleno successit pondere fatum.  
 18 Nempe ego regnum humile, et fingenti obnoxia famae,  
 19 deludi potius, quam verum audire merebar ?  
 20 Aut non digna fuit, communi et simplice luctu  
 21 Hungariae fortuna frui ? Nisi nube soluta  
 22 Mortis inundarent totam lamenta ; fuisset  
 23 vile nimis : quamquam hoc reputans et glorior, et me  
 24 praefero in hoc luctu. Tanti doluisse sit istum

25 amplius heroa, amplexumque inferre sepulcro.  
 26 (Ingentem reliquae Divae mirantur amorem  
 27 lugentis, causasque petunt, et discere : quando,  
 28 ac ubi inaudierit de Magno funere famam.  
 29 Illa solo attollens vultum, gavisia rogari,  
 30 annuit, aspexitque omnes, dein talia fatur.)  
 31 Tempus erat, quo jam disclusa cornua fronte  
 32 caeli Aries, rutilique lavabat velleris aurum.  
 33 Fertilis in flores, laxataque germina, nodo  
 34 Pannoniae turgebat humus, taurosque vocabat  
 35 pastor ad undantes erecto gramine campos.  
 36 Sola ibam per me : multumque irata superbis  
 37 Odrysiis, quonam usque feram mea crimina, dixi,  
 38 aut quando ejectis purgabo haec pascua Turcis ?  
 39 Tam dilectus ager, tam pinguis culta Galeso  
 40 certatura jacent, Nilumque bibentibus arvis.  
 41 Silva viret, vivunt fontes, nitidique Tibisci,  
 42 Savi que ingenui. Quin et spumantia late  
 43 flumina, Drina superstagnans, argenteus Una,  
 44 Mura celer, Dravus lenis, per nostra vagantur  
 45 oppida, et admissis lambentes moenia gyro,  
 46 pene etiam in Patria civili jure fruuntur,  
 47 sunt mihi visendae prae magnis urbibus urbes,  
 48 attestante Dea Cybele : velut illa fateri  
 49 dignata est ; quando comitata prioribus annis  
 50 Mygdonios currus nostris adverterat oris,  
 51 meque penes voluit sua non invisum calere  
 52 orgia, crinales buxo inclinantia muros.  
 53 Ut non immerito felix, ornataque tantis  
 54 dotibus, Europae pulcherrima filia dicar.  
 55 (Riserunt modicum Divae, subitoque pudore  
 56 maestam iterum strinxere genam : nihil illa notavit)  
 57 sed cui dives opum regio desponsa reservor,  
 58 totque procis ambita toro ? Quas sentio taedas ?  
 59 Pro scelus ! impuros Arabes mihi pronubus horror  
 60 ingerit, et Mauros, invisae vota tyranni  
 61 Threicii, nempe ille meo potietur amore  
 62 trux Othomanigenum (non possum dicere Caesar)  
 63 praedo nocens ? Mea jura, meos sibi computat ignes  
 64 pro thalamo, dotemque petit, me scilicet ipsam.  
 65 Tota etenim sum dos, et qui me sponsus habebit,  
 66 dotem habet in sponsa : sponsae dos altera non est  
 67 quam sponsa ipsa. Scit hoc noster crudelis amator,  
 68 obtruditque faces. Sed enim jam foedere certo,  
 69 (quid me Maure vetas ? ) jam toto pectore nupsi  
 70 Austriacis. Habeo, quem non dimitto, maritum  
 71 Austriacum. Domini pulcher, quem diligo, sanguit,  
 72 Bocus a Matre est : (nutu generosa modesto  
 73 Bojaria assensum dedit : ) est a Caesare patre  
 74 Austriacus. (Dulci suspiria duxit amore  
 75 Austria, conseruitque manus, et basia fixit ;  
 76 omnia adhuc sunt maesta tamen.) Cede, improbe, cede  
 77 rivalis : nisi me cogas, obnoxia non sum :  
 78 sic quoque luctabor. Miseram me praedo cruentus  
 79 infestat, vimque igne parat, vimque omnibus armis  
 80 (ingemuere omnes) terret mulcendo, minisque  
 81 blanditur, miserisque modis divexat ; et hostis  
 82 cum sit juratus, non vult tamen esse videri.

83 Interea spoliat, nostrisque incesta superbit  
84 luctibus, et lacrimis, et foedis Luna rapinis.  
85 Illa Javarinum tenet, et conubia Budae  
86 barbara turpis init, nostrarque epulatur in arce.  
87 Exserere Hungariae defensor, sive Serinus  
88 ossibus ex magnis, aliquis redivivus in arma :  
89 seu de monte nigro dux Schwarzenbergius ultor.  
90 Vana precor. Manes sua transegere beati  
91 saecula : vivorum mihi sollicitanda cupido est.  
92 O ! si finitis tandem Germania bellis  
93 respiceret nostras acies, viresque juvaret  
94 conjunctas. O ! si, quem tot speramus ab annis,  
95 Tillius ad nostras vultum converteret urbes.  
96 Hujus ego ingentum, moresque, et proelia novi,  
97 victricesque manus ; et nunc quoque classica festo  
98 cum fremitu audimus : cumulata ut plaustra triumphis  
99 currant per totum, qua sol patet aureus, orbem.  
100 Bruma mihi, totiesque aestas, tricesima fluxis :  
101 ex quo bellantis jam tunc suspeximus hastam,  
102 sub duce Mercurio ; et semper memorabile vulnus.  
103 Ille modo adveniat : possum in mea sceptrata reponi.  
104 Ille triumphato capiet diadema tyranno.  
105 Ille meas aquilas nativo sole replebit :  
106 non illo infando, qui diri sideris omen  
107 de Byzantino prospectans aequore vibrat :  
108 Unde mei colles, mea prata, amnesque tremiscunt.  
109 Talia dicebam, indignans, et plurima, quae non  
110 jam memini, celerata dein vestigia movi,  
111 ascensu superans regalem tristior Albam,  
112 meque salutavi.  
113 Cum novus ecce volat, qua porta nescio, rumor,  
114 secretum lugubre ferens : hic murmure primum  
115 fracto, mox majore, et denique clamat hianti  
116 ore : jacet, jacet, et lapsae spes nulla salutis.  
117 (Ingemuere omnes atque aures arrexere)  
118 Tillius exanimis cecidit. Variataque fama,  
119 ingenio ambages cecinit, diversaque mussans,  
120 nunc solum vulgavit equum ; nunc addidit ipsum  
121 procubuisse ducem. Modo cordis in ima sedente  
122 vulnere transfixum : modo per caput ense cruentum  
123 demerso. Jam glande fuit percussus ahena :  
124 jam crus confractum. Rursum haec correctata : curulis  
125 tormenti majore globo, qua tempora sidunt,  
126 derasum facie ambusta, excussoque galero,  
127 fama recens alio jactantior ore vehebat.  
128 Quid facerem ? Indolui, cupiensque audire quod opto,  
129 tristia narrantes odi, et narrare coegi.  
130 Ut vero nigris etiam fama horrida pennis  
131 allapsa est ; coepitque necis miserabile murmur  
132 Spargere : confudi vultus, atrataque comptos  
133 turbavi crines : nervo languente pependit  
134 arcus, et ex humeris laceratae fluxere pharetrae.  
135 Sic igitur vehemens et formidabilis aegro  
136 visa dolore fui, mox Regi adstrata ; supremum,  
137 dixi, obiit viditque diem cum vulnere magno  
138 Tillius occumbens : quo non tam Tillius ipse,  
139 quam simul imperii corpus venerabile laesum est.  
140 Juro tibi. Si fila Deae vel plura dedissent,

141 vel saltem flavo de nobiliore metallo :  
 142 ille truces Bassas, Mufftique, et cetera monstra  
 143 finibus e nostris poterat dispellere in Orcum.  
 144 Ille tuos hostes, et nostrae pellicis altos,  
 145 cornibus abscissis, poterat contundere fastus.  
 146 Tuque tot adstrictus titulis Hymen auree, Ferdi-  
 147 nande potens, nostro solus fruereris amore.  
 148 Namque ipsae primis, et adhuc vernantibus annis  
 149 arduum, et ad nostram pugnans cominus Albam  
 150 vidimus Odrysiae complecti cornua Lunae,  
 151 inque aliquot partes diffracta remittere Turcis.  
 152 Heu ! nihil obstiterat fatis tam nobile pectus ?  
 153 Nec talem potuit virtus avertere cladem ?  
 154 Vadimus exequias celebrare, et flebile magno  
 155 officium luxu cineri praestare sepulto.  
 156 Anglipolis, stadium Martis (Dea Boica surgens  
 157 erubuit, decuitque rubor quasi ab Iride mixtus)  
 158 armatum asservat funus, luctuque triumphat.  
 159 Sic effata viam rapio, et quo cernitis ostro  
 160 triste refulgenti dirumque, huc sordida veni.  
 161 Nunc o consortes Divae, comitesque severi  
 162 concilii : (oblique aspectans clementer obivit  
 163 quamque, incensa genas, squalore venustior ipso)  
 164 vos in tam sacri luctus arcana receptae,  
 165 pergite cum mundi invidia deplangere mecum.  
 166 (Surrexere omnes pariter : pariterque ad tumbam  
 167 convertere oculos ; pariterque iterum avertere.  
 168 Inde choro absistunt junctae, alternisque gementes  
 169 funebria implacidis numeris encomia miscent.)

EXTREMUM ALLOQUITUR ENSEM M. TILLII EUM DEINDE MARTI TRADITUR

T24 v.1 Ensis care mihi, nostros frustrate lacertos,  
 2 jam nec praesidium, delictumque meum.  
 3 Siccine te repetit, qui te mihi praebuit ante,  
 4 et debes iterum Martia castra sequi ?  
 5 Villosa stringere manu ; quem ferre decebat  
 6 Austriacas, sceptrum quae tenuere, manus.  
 7 Fulssisses mediae pictis in postibus Aulae  
 8 pendulus, aut summis fixum anathema tholis.  
 9 Sed Pater hoc Gradivus eget. Nempe ense Gradivus ?  
 10 Arte coloratos instruit ille dolos.  
 11 Transmittam tamen, ut non sit, quod jure queratur :  
 12 novi ejus bilem : nam calefacta fuit.  
 13 At non hoc servare fidem est, non verba Deorum  
 14 intemerata loqui ; sed puto, verba dare est.  
 15 Apparet, quanti faciat civilia jura :  
 16 dat specimen docti scilicet ingenii.  
 17 Hoc gladio rumpit foedus, quo foedera sanxit ;  
 18 cum me Boiariae nexuit ille meae.  
 19 Ah ! Prius Elysios Rhodopejo in culmine flores  
 20 quaesisses, et Geticae mellea dona nivis :  
 21 quam Mars ut me isto privares munere : non sic  
 22 decipies iterum perfide : quaere alias.  
 23 Ensis care mihi, nostros frustrate lacertos :  
 24 jam nec praesidium, delictumque meum.

BOIARIA.  
MARS BELLORUM ET REMULI PATER

T25 v.1 Non ergo te vilis humus, sed nobilis aevo  
2 acceptit, genioque loci dignissima sedes.  
3 Si quid in his fulget pretiosum finibus usquam,  
4 si sacrum, si divinum, si denique charum  
5 dilectumque mihi ; totum concessimus ultro  
6 funeris obsequiis : fruere his, o nobilis umbra,  
7 sedibus, Oetingaeque tuam complectere Divam.

AUSTRIA.

8 At non in Geticis Martem implorabimus arvis.  
9 Illic se virtus pulchrique ferocia belli  
10 migravit praesens, felicem ubi Tillius armat  
11 compositus terram, duplici jam praeside tutam.  
12 Quam sibi delegit Regina augustior olim,  
13 delectumque ornat meritis : Oetinga deinceps  
14 militibus veneranda dabit decreta sagatis.

HUNGARIA.

15 Auguror : his adytis sese Victoria cludet.  
16 Ut, quando auspiciis quaerentur bella secundis,  
17 miles ad hunc tumulum teneatur stare, futuris  
18 intentus, multumque rogans, edictaque poscens.  
19 Quicquid abhinc statues ; posito tantisper honore  
20 armorum, cupiet consultum scire, tuumque  
21 nomen ad excubias fors tessera Tillius ibit.

ALEMANNIA.

22 Si constricta metu nimium praecordia frigus  
23 perculerit, timidosque animos pulsaverit horror :  
24 quam primum trepidi vox ista feretur ad aures  
25 militis : Oetingae fuimus. Dedit omina noster  
26 Tillius : afflavit vigor ossa, et sensimus urnam  
27 commotam. Simul his, Borea ceu turbine torta  
28 saxa volant, celeres, celeres terrore remisso  
29 ambabus rapiunt bellum crudeliter ulnis,  
30 non exspectato sonitu, vexilla sequentur,  
31 et tubicen primum pugnam, quum fuderit hostem.

BELGIUM.

32 Si nimis audaces furia sufflante calores  
33 hauserit importuna cohors, responsaque bello  
34 nota petet, dederitque eventus signa sinistri :  
35 non centum, non mille boves, non mille elephantum  
36 militis unius ducent ad proelia frustum :  
37 non si cum calida totus Mars irruat Aetna,  
38 exstimuletque jecur, venasque ardore virili  
39 torreat, ac tepidum proceram verberet hasta  
40 pectus : et ut pugnet, Pompeii aut Caesaris ense  
41 offerat Annibalisque astus, Macedumque phalanges :  
42 vel micam generosae animis infuderit irae.  
43 Omen abest bellumque vetat Dux Tillius auctor :  
44 arma manusque tremunt : longoque in carcere servat  
45 captivum vagina suum : ne liber in auras  
46 erumpat, metuens praefectus carceris horret.  
47 Mors dura ante oculos, hostisque instare videtur.

GALLIA.



48 Quod si fortunae melioris origine faustum  
 49 annueris bellum, non indignante Gradivo :  
 50 ilicet exilient omnes, raptimque ferentur  
 51 in spem victricis palmae. Fera corda, trucesque  
 52 ardebunt oculi. Vis inflammata juventae  
 53 intrabit mentes : bellum, bellum omnibus unum !  
 54 Hoc poscunt voto, et mixta singultibus ira.  
 55 Nec vires auferre furor, nec dura valebunt  
 56 pectora conflictu cunei turbare rebelles.  
 57 Tillius in campo, totisque vocabere castris.

## ROMA.

58 Hanc ergo Jani templo sapientius aedem  
 59 praetulerim : quisquis pacem, vel proelia quaerit,  
 60 accedat, tentetque fores. Si janua clausa est ;  
 61 Bella tonant, mira que novus vice vertitur ordo :  
 62 indue texta sagi brevis, et cito corripe telum.  
 63 Hostis habet patriam. Sed tu ne cede : feroces  
 64 instinctus animi ducis hujus tumba juvabit.  
 65 Si datur ingressus pacem reverberis almam,  
 66 nil timidus. Secura quies per Boica rura  
 67 floret : spica bonum fecunda Virginis annum  
 68 efficit ; in falces gladios consumpsit arator.  
 69 Quare adeo substerne genu, manibusque levatis  
 70 funde preces calidas ; votisque recentibus aras  
 71 accumula, Numenque Deae clementis adora.  
 72 Post tumulum ingentem mirare, et lumine lustra :  
 73 et dic : "Iste fuit, Patriae qui impendit ovantem  
 74 per tot bella animam. Proavi dixere Parenti :  
 75 ille mihi : tibi nunc memoro : tu nate, Nepoti  
 76 trade, ut ab illius discant pronepote nepotes.  
 77 Tillius imperio donavit vulnera septem,  
 78 Boiariae octavum, et totum se denique funus.

## BOIARIA.

79 Non solum Oettingae tumulum tibi Gloria fixit :  
 80 sed totum ex aequo Mundum justissima merces  
 81 obtulit : et Pragae situs es : regalis ad Albae  
 82 munimenta situs : situs es pugnacis in agro  
 83 Wimpffenae. Quicumque locus te bella gerentem,  
 84 vincentemque tulit, Pario vestigia saxo  
 85 signavit, vetuitque mori. Quot proelia vidit,  
 86 marmora tot struxit : tua quo tentoria campo  
 87 explicuit miles, jam plurima Pyramis extat.

## CONTINENTIA MILITANTIS LAUDATA, ET FECUNDA TILLIANIS VICTORIIS.

T26 v.1 Integer et pugnax animus, si magna meretur  
 2 praemia : quanta tuus nulli tractabilis igni  
 3 femineo, Dux magne, feret ? Quem nulla voluptas  
 4 vicit, et a licitis etiam contempta reliquit,  
 5 mollior illecebris intactum flamma rigorem.  
 6 Sunt alii quoque, qui vincunt : vincuntur at ipsi  
 7 non minus, et vitiis prona succumbere gaudent.  
 8 Bella gerunt, bello miseri moriuntur in uno.  
 9 Arma ferunt Martis, sed non sine conjuge Martis.  
 10 Expugnant urbem ; mox expugnantur ab urbe.  
 11 Tecta urunt flammis, Cyprioque uruntur ab aestu.

12 Ardua tela rotant : nec tela Cupidinis arcent.  
 13 Glande quidem feriunt ; sed prosternuntur ab arcu :  
 14 quique viros mactant, pueri sunt victima caeci.  
 15 At tu, quem duplex bellorum Baltheus ornat,  
 16 atque insueta sacris dutibus miracula nectunt :  
 17 non solum adversas acies, infestaque signa  
 18 vexillis collata tuis, animosus aperto  
 19 aequore fudisti camporum, aut montibus altis :  
 20 verum etiam arios hostes, quibus una potestas  
 21 est, versare dolis homines, tenebrisque pudendis  
 22 fallere demersos ; plusquam mortalibus armis  
 23 Heros semideus pepulisti a pectoris aula,  
 24 armatus scuto fidet, galeaque salutis.  
 25 Contra delicias mens immansueta, virilis,  
 26 cruda, ferox, scopulosa fuit. Quam flectere firmam  
 27 nec vitii potuit dulcedo, nec orgia carnis.  
 28 Non tamen in sterili virtus te riserit aevo :  
 29 multos Bellona qui obstetricante triumphos,  
 30 majores aliis genuisti : nempe Gigantes  
 31 terrigenis olim similes : non qualibus implet  
 32 Pygmaeis parvas naturae ignavia cunas.  
 33 Quin etiam passim per mundum uxorius audis :  
 34 ex quo Diva tibi nimium Victoria nupsit,  
 35 non nisi te solo, Tilli, gavisamarito.  
 36 Cimbrica pagna tua est soboles : quam rege cadente,  
 37 affectu patris, natam a tellure levasti.  
 38 Sanguineaque lavans, in nomine Caesaris, unda,  
 39 misisti ad reliquos fratres, duce Marte Viennam :  
 40 ut Jovis Austriaci felix aleretur in aula :  
 41 os humerosque Patri similis, nec cetera dispar.  
 42 Pugna cruentato resonans Turlacia campo  
 43 est tua progenies, primo vegrandis ab ortu,  
 44 vagituque ferox illo, qui terruit hostes.  
 45 Hanc clipeo exceptam, multoque ardore coruscantem,  
 46 Boiariae missime duci memoraris : ubi ingens  
 47 trinitiae strages facta est, optataque partus  
 48 gaudia maestae urbis dirum pepulere dolorem.  
 49 Maximus ille infans ferro stipatus et hastis,  
 50 vexillis tectus laceris, et pulvere plenus,  
 51 de tabo fumabat adhuc : tamen omnia pulcher,  
 52 et facilis vegetusque, et nostris utilis armis.  
 53 Talem progeniem forsitan Pharsalia numquam  
 54 enixa est : neque jam gravida Carthagine bellis  
 55 Scipio, vel Fabius triginta sustulit annis.  
 56 Aut etiam luscus Cannis praegnantibus Afer.  
 57 Quam felix pater est, quam tam numerosa propago  
 58 respicit ! Haec tuus est sanguis, tua vulnera, Tilli :  
 59 sic natos agnosce tuos : quosque auspice taeda  
 60 funesta nimium, thalamisque atrociter usa  
 61 Partheno pulchra polis peperit tibi nigra puella.

MARS BELLORUM ET REMULI PATER BOIARIAE SUAE SALUTEM ET CLYPEUM.

BOIARIA.

T27 v.1 O ! quam te memorem bello Dux inclite Tilli !

2 Non alium similem tibi nostra haec protulit aetas.  
 AUSTRIA.

3 Hi toties aequo sudantes Marte lacerti  
 4 caedibus innumeris. Istud Germania ferrum,  
 5 quod jam vix credas, peperit tibi saepe salutem  
 GALLIA.

6 has Henrice manus laudasti Quarte, tuisque  
 7 strenuus accitas voluisti astringere bellis.  
 8 Prudens iudicio mentisque indagine solers,  
 9 istarum manuum quod tanti feceris usum.  
 BELGIUM.

10 Quam tibi certa fuit felixque in proelia dextra !  
 11 Sive peremisti : tam pulchra morte superbus,  
 12 quisque suos potuit solari hoc nomine manes.  
 13 Sive pepercisti : veniae tam nobilis hostem  
 14 non puduit, grates cumulantem, et ad arma paratum :  
 15 quod pretiosa tuo meritis sit figere ferro  
 16 basia, id halanti blandum pulsantia labro.  
 ALEMANNIA.

17 Quidquid iners aetas neglexit : quidquid iniquum  
 18 perdidit ingenium, rabiesque immanis habendi  
 19 abstulit ; ille iterum, dispulso turbine rerum,  
 20 restituit virtute sua, mitique reduxit  
 21 imperio, et validis protexit fortiter armis.  
 BOIARIA.

22 Tu Dani fastum domuisti, et vindice ferro  
 23 Morgani furiale nefas. Hinc Cimbrica Tethys  
 24 imbelli glaciata metu, formidine sola  
 25 torpuit, ostensis frendens immane catenis.  
 AUSTRIA.

26 Cum tonuit belli nubes, ut fulmen in hostem  
 27 irruit, armorum vibrans penetrabile fulgur.  
 28 Castra, suasque acies clemens pervasit ut astrum.  
 ROMA.

29 Qui tua bella sequi studet, aspiratque triumphis  
 30 ambitione tumens : is Solis quaerit habenas ;  
 31 et Phaethontaeo citius fumabit in amne.  
 BOIARIA.

32 Vix exspirasti, contemptor luminis hujus,  
 33 bellatricem animam : mox contremuit titubante  
 34 terra gradu ; motumque novum molita, bis auras,  
 35 bisque Lyci contorsit aquas : ter gurgite rupto  
 36 proxima divisit mirantibus aequora ripis.  
 AUSTRIA.

37 Quam lapsus signavit humum, venerabilis omni  
 38 posteritatis erit senio, natisque Nepotum ;  
 39 dicentque : hic cecidit, cumque illo tota salutis  
 40 machina. Visurae stimulante cupidine gentes  
 41 accurrent, tantae mirantes fata ruinae.  
 BOIARIA.

42 Ut te vilis humus, nullisque incincta cupressis  
 43 abderet, et rumba vulgari clauderet antrum :  
 44 quid tibi subtractae spatium telluris obsesset ?  
 45 Qui per te magnus, semper tibi sufficis unus.  
 46 Certius et melius nosti, quam longa tuorum  
 47 sit mensura pedum : quae corpore digna ferendo  
 48 Terra levis : quo te cupias vestire jacentem  
 49 cespitem, et ingentes tumulo quos porrigis artus.

## AUSTRIA.

50 Ut te nemo canat, nullus sciat ; ipsaque vatium  
 51 relligio taceat, frustra celebrare rogata :  
 52 nec responsa sonent montes, percussaue plectris  
 53 barbata ; et a mutis fugiant praesagia Musis.  
 54 Nonne tamen te facta satis loquerentur, et arma,  
 55 quae pia movisti, collisaeque casside cassis,  
 56 cum clangore tubae canerent ? Magna ora triumphi  
 57 pandunt, eque tuis spirat facundia bellis.

## ALEMANNIA.

58 Ecce ducum ductor ! Cujus laus cognita castris,  
 59 vita probata Deo, virtus spectabilis hosti.

## AUSTRIA.

60 Te tuba rauca sono, valido te. Classica pulsu,  
 61 te litui lugent pleni vocalibus auris.

## BOIARIA.

62 Te maestri flevere duces : te militis horror,  
 63 extinctum trucibus lacrimis confessus, amavit.

## AUSTRIA.

64 Ipsi adeo magni montes, quos propter iniquas  
 65 prostravisti acies, silvaeque, et vallium opacae  
 66 sunt audita queri, nubis resonante procella.

## BOIARIA.

67 Ipsi adeo trepidi fluvii, quos saepe cruenta  
 68 strage retardasti, jam liberiore meatu,  
 69 et sine funeribus sese mirantur abire.

## AUSTRIA.

70 Dum Moenus, dum Molda fluit, dum turbidus Ister,  
 71 caeruleoque feret Rhenus cava robora dorso :  
 72 semper Teutonicis tua fama coletur in oris.

## BOIARIA.

73 Dum Leo sidereus stellas, dum Boicus arma,  
 74 dum gladium Mavors, Aquilae dum fulmina portant :  
 75 mortuus, in nostro tamen ore et pectore vives.

## CHORUS V. MONET, UT M. TILLIUM NULLUS AMBITIOSE AEMULARI, AUT SUPERARE...

T28 v.1 Tillii famam superare nullus  
 2 militum tentet : nisi qui coruscus  
 3 Cynthii currus, petulans et alter  
 4 filius Solis Phaethon, tumultu  
 5 commovens caelum petet, insolenti  
 6 hujus exemplo juvenis futurus  
 7 fabula Mundi.  
 8 Ille ubi Patrem properare vidit  
 9 per duos axes, redeunte semper  
 10 praevia stella : madidos jugales  
 11 et via fessos, simul ac marini  
 12 tinxerint fluctus, iterum citatis  
 13 passibus vasti peragrare caeli  
 14 nobiles campos, sibi nil timendum  
 15 credidit natus, nimium protervis  
 16 viribus fidens. Nec opus stupendum  
 17 censuit ; nubes super, et planetas  
 18 inter, et stellas prope, concitata  
 19 provehi Patrem medium quadriga :

20 sic, ut aequali spatio viarum  
21 terga servato regeret Phlegontis.  
22 Quin ubi pulchros ab honore menses,  
23 et puellares speculatus horas,  
24 hausit aspectus et amoris ignes :  
25 vidit, exarsit, petiitque currus.  
26 Heu ! miser scandit, subitoque voti  
27 paenitet. Dum vult moderari equorum  
28 igneos motus, timuit Booten,  
29 et boum septem glaciale pratum :  
30 quique curvato spatiosus anguis  
31 sibilat gyro, timuit leonis  
32 flammeos rictus, et inauspicati  
33 scorpiae chelas. Rapit ergo pronum  
34 bellua currum.  
35 Inde turbatus trepidavit aether,  
36 palluit Lunae chorus, et represso  
37 astra concentu tacuere muta.  
38 Frigidum coepit rota pervagari  
39 devians axem, tepidos triones  
40 sudor invasit nive dissoluta.  
41 Tu puer, fili male gloriose.  
42 Propter errorem Jovis igne pulsus,  
43 decidis, fumat Padus, atque fulmen  
44 eluit lympa. Miserae sorores  
45 frondibus rorant querulis, et udo  
46 luget extinctum lacrimosa fratrem  
47 litore silva.  
48 Tillium quisquis superare gestis  
49 rebus, aut bellis cupit aemulari :  
50 fiet hic alter Phaethon, suisque  
51 excidet ausis.